DE

Q. HORATII FLACCI

AD

PISONES EPISTOLA.

COMMENTATIO EX DECRETO

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

ORDINIS BASILIENSIS

PRÆMIO ORNATA.

SCRIPSIT

Guil. Theod. Streuber,

Philosophiæ Doctor.

BASILIÆ

TYPIS LIBRARIÆ SCHWEIGHAUSERIANÆ.

1839.

VIRO CELEBERRIMO

FRANCISCO DOROTHEO GERLACHO

PHIL. DR. LITT. LAT. PROF. P. O.

PRÆCEPTORI OPTIMO

HOC STUDIORUM SPECIMEN

GRATISSIMO ANIMO

CONSECRAVIT

AUCTOR.

Si Tibi, vir clarissime, hosce studiorum meorum fructus dicatos esse volui, non solum antiquum et laudabilem quidem morem secutus, verum eo potissimum sensu ductus sum, cum cetera, si quid antiquitatis scientiæ mihi peperi (quod sentio quam sit exiguum), tum hujus disputationis Horatianæ successum ac prope originem Tibi deberi. A Te enim, cujus scholis fere per sexennium interfui, et in hæc studia inductus sum, et Tuis auspiciis biennio abhinc quæstio illa juvenibus litteras bonasque artes colentibus proposita est, qua ad examinanda virorum doctorum de epistola ad Pisones judicia et ad ipsius Horatii consilium diligenter investigandum invitabantur. Quodsi tum temporis accidit, ut disputatio mea amplissimi philosophorum ordinis decreto præmio ornaretur, iterum Tu adhortator fuisti, ne præcepti immemor Horatiani limæ laborem et moram spernerem.

Exinde cum ad summos in philosophia honores adscendere animus esset, emendare haud unquam destiti. Nec eo secius vereor, ne multi me, opusculum jam in publicum editurum, Iliadem post Homerum scripsisse increpent, quippe cujus judicium nec novitate insigne, et parum subtile, augeat tantummodo molem immensam eorum, quæ hac de re jam scripta sunt, quæ moles tanta est, ut jam trecentis fere annis ante Antonius Muretus, V. Cl., epistolam brevi pauciores aliquanto versus, quam interpretes, habituram esse conquestus sit. Quæ quidem res magna me animi sollicitudine afficeret, nisi probe scirem, qui novitatem arrogantius sibi sumpserunt, plerumque eosdem fuisse, qui longissime a vero aberrarunt, simulque sperarem, me non prorsus acta egisse. Namque in perlustrandis virorum doctorum judiciis, quæ undique haud exiguo operæ sumptu conquisivi, multis per-

gratum facere existumavi, cum ii, qui tale quid olim fecisse traduntur, HABERFELDTIUS et *vir quidam doctus* in nescio quibusnam ephemeridibus, nostris temporibus nequaquam satisfacere queant. Nec vero, quod illorum judicia usquequaque fere omnibus verbis inserui, est, ut quisquam me tanquam toto sacco serentem vituperet, cum ex fonte haurire, quam rivulos, et turbidos sæpe, consectari maluerim, cujus quidem religionis nunquam me pudebit. Ceterum quod ipse judicium defendi, neutiquam omnibus acceptum est, id quod ii probant, qui nuperrime hac de re exposuerunt. Itaque libellum non plane supervacaneum fore speravi, cujus quidem habitum ita servavi, ut de Platone et Aristotele, in comparationem vocatis, pauca disputaverim, de iis autem, quæ ad meram rhetoricam, quæ æsthetica appellatur, spectant, disserere omiserim, quia et quæstione proposita recte cautum erat, ne

longius ab incepto trahamur, et his de rebus qui scribere velit, vernacula lingua uti, cum Eichstadio consultius existumem.

Habes jam, vir doctissime, rationem emendatae commentationis, Tibi olim et nunc, ut scio, probatae. Restat, ut a Te precer, ne benevolentia Tua, quam usque adhuc erga me habuisti, in posterum mihi unquam defutura sit.

Scribebam Basiliae Idibus Sextilibus MDCCCXXXIX.

Quamvis tot jam tamque egregiæ disputationes cum de ceteris Horatii carminibus, tum de illo carmine, quod *de arte poetica* vulgo inscriptum est, a viris doctis editæ sint: permultæ tamen res et in ceteris carminibus nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, et de epistola ad Pisones usque ad hunc diem non convenit inter viros doctos, quod consilium Horatio in scribenda hac epistola fuerit; ita ut adhuc sub judice lis sit. Quo de carmine sane verum est, quod jam alii dixerunt, perpaucos esse antiquorum librorum, de quibus, quamvis sæpissime explicati fuerint, interpretes magis varie judicarint. Quodsi cui mirum videbitur, hanc quæstionem, specie quidem facilem, difficilem re, tot tantisque hominum doctorum studiis nondum dissolutam esse, hujuscemodi causam inveniet. Cum enim neque ipse Horatius, quo consilio carmen scripserit, disertis verbis indicaverit, neque qui antiquitus illi commentando operam navarunt, ejus rei nos certiores fecerint: inde factum est, ut homines scientiam ad opinionem aucupati (ut Varro scribit) ipsa jam conjectura in varias, nonnunquam etiam in contrarias partes ducti sint. Pars igitur carmen in singulas particulas discindere, alii mira ingenii acie artem extundere, plures conjecturæ frenos dare, ingeniosas fabellas excogitare, nimio labore ad id contendere,

quod nemo unquam scrutatus est. Sed hi omnes vehementer errarunt. Quid enim est incertius conjectura solidis argumentis destituta, cui ex ingenio suo quisque demere vel addere fidem potest? Recte igitur Horatii carmen explicaturo ipsa verba ponderanda, inter se conferenda, ex illis, non ex aliorum tricis et narratiunculis argumenta petenda sunt, quæ opinionem, si quæ est, fulciant. Quam viam, cum mihi sola visa sit, qua sani aliquid et fructuosi capiatur, equidem ita ingressus sum, ut initium fecerim examinandi virorum doctorum judicia, quibus non dijudicatis nos in summo errore necesse est atque in maximarum rerum ignoratione versari. Totam igitur commentationem ita institui, ut in altera parte, quæ est *ἀντίθετος*, virorum doctorum judicia enumeraverim, examinaverim, confirmaverim aut refellerim, in altera vero, quæ diluta erant, denuo constituens *θετικῶς* meum de hoc carmine judicium exposuerim. De cujus inscriptione pauca prius explananda videntur, quam initium disserendi faciam; quoniam hac re cognita facilius et expeditius uniuscujusque animus ipsam carminis rationem ac interpretum de eo judicia considerare poterit.

Jam satis constat, illum Horatii librum, qui in fine carminum plerumque positus esse solet, in omnibus fere editionibus, quæ hodie circumferuntur, in hunc fere modum inscriptum esse: *de arte poetica liber, ad Pisones*, vel: *epistola ad Pisones sive de arte poetica*, vel simpliciter: *ars poetica*. Sed jam inde ab iis temporibus, quibus litteræ latinæ ex superiorum annorum caligine et tenebris lucem respicere cœperunt, permulti recte dubitarunt, num hæc in-

scriptio genuina et ab ipso Horatio carmini imposita sit; nam cum nusquam Horatius se de arte poetica scripturum esse dixisset, a grammaticis librariisve argumenti designandi causa addita videbatur. Primus enim est *Quintilianus*, sagacissimus ille judex antiquorum scriptorum, qui Horatium *de arte poetica* librum scripsisse dixit, quem ceteri, auctoritate tanti viri freti, temere secuti videntur. Scripsit enim ille de monstro quodam loquens: [1]) «*id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poetica fingit, humano capiti etc.*» Idem etiam alio loco [2]) *artem poeticam* Horatii commemorat. Quintiliano ætate proximus est *Terentius Scaurus*, grammaticus, qui Gellio adnotante [3]) Hadriani temporibus vixit, testeque Charisio [4]) commentarium in *Horatii artem poeticam* scripsit. Præterea etiam *Symmachus* hoc confirmare videtur, qui in epistolis [5]) scripsit: «*Haud ita Flaccus tuus præcipit in illis poeticæ artis edictis, quorum hoc memini esse principium, ne humano capiti cervix equina jungatur.*» Denique *Sidonius Apollinaris*, [6]) scholiastæ aliique grammatici, qui jam mature hoc carmen interpretari cœpere, et recentiorum virorum *Scaliger, Dacierius, Regelsbergerus, Schelleus*, in eorum numero ponendi sunt, qui inscriptionem ipsius Horatii esse dixerunt. Sed omnium horum testimonia, quamvis antiquitati probata, levissima esse minimeque ex illis colligi posse, genuinam esse inscriptionem, et ab ipso Horatio carmini impositam, paucis aperiam. Pri-

---

1) inst. or. 8. 3. 60. 2) ep. ad Tryph. 2. et l. c. 3) 11, 15. 4) pg. 182, 5 et 188, 17. 5) ep. 1, 4. 6) 9, 225.

mum enim nullus horum, quos laudavi, aperte dixit, Horatii librum ita inscriptum exstare, sed de arte poetica illum scripsisse; imo Symmachus non *librum*, sed *edicta* tantum de arte poetica commemorat. Sed et Quintiliani, qui, cum sit antiquissimus, gravissimus auctor videtur, testimonium non ita magni faciendum est. Nemo enim est, qui nesciat, antiquos in citandis libris atque auctoribus non eadem, qua nos, religione versatos esse, sed et libros nomine, quod argumento quidem aptum erat, sed non ab ipso auctore propositum, appellasse, et versus singulave scriptorum dicta, quippe ex memoria, minus accurate laudasse. Cujus quidem rei documento est Symmachus, quem supra laudavi. Eodem modo Iliadis libri non numero, sed argumento designabantur, ita ut liber secundus *κατάλογος*, duodevigesimus *ὁπλοποιΐα* appellatus sit. Ex eodem hoc more factum est, ut Platonis dialogi in multis codicibus et editionibus varie inscripti legantur, ut Laches sive *περὶ ἀρετῆς*, Charmides sive *περὶ σωφροσύνης* etc., cum tamen Plato eos simpliciter Laches, Charmides haud dubie appellaverit. [1]) Similiter etiam Taciti liber, qui inscriptus est *de situ, moribus et populis Germaniæ*, plane ex argumento desumptum titulum præ se fert, quem ipse Tacitus vix ei unquam dederit. [2]) Nihil igitur est probabilius, quam illum librum, *ad Pisones* tantum initio inscriptum, inde a Quintiliano, qui illum ad argumentum accu-

---

[1]) cf. *Schleiermacher* ad Plat. Phædrum; *Stallbaum* ad Philebum; *Jacob* ad Luciani Toxaridem; *Göttling* ad Aristot. polit.

[2]) cf. *Gerlach* ad Tac. Germ. init.; ad Salust. Tom. II. P. I. pg. 2.

ratius describendum atque notandum *de arte poetica* appellaverat, mox, quia hoc nomen aptissimum videbatur, ab uno alterove ita nominatum atque deinde in hunc modum inscribi cœptum esse; quæ res sane ei mira non videbitur, qui, quam varie et inepte sæpe libri in codicibus manuscriptis inscripti inveniantur, vel semel viderit. Plane igitur in eorum sententiam eo, qui hunc librum inter epistolas referendum et *ad Pisones* tantum inscribendum esse censuerunt, id quod et multis antiquorum et hodie fere omnibus placet, cum neque temporum ratio neque ipsum carminis argumentum obstet. Probarunt enim hoc jam *Charisius*, præterea *Lambinus*, *Henr. Stephanus*, *Dan. Heinsius*, *Colonius*, *Gerh. Vossius*, *Sanadonius*, *Gesnerus*, *Dœringius* multique alii, quorum omnium longum est laudare verba.[1]) Quodsi hæc inscriptio genuina incolumis mansisset, haud dubito, quin permulti non ad pravam atque perversam interpretationem delati fuerint; nam pæne incredibile est, quantam vim illa in interpretum judicia exercuerit, ad quæ examinanda jam transeundum videtur.

Cum, quod jam supra dixi, tanta sit interpretum multitudo explanationumque discrepantia, ut, si ex

---

[1]) *Henr. Stephanum* tantum laudo; diatribe de titulis et ordine librorum Hor. pg. 32: "Ad me certe, quod attinet, sic nominem *epistolam*, non libenter addiderim *de arte poetica*, sed tantum *ad Pisones* adjungere epistolæ appellationi malim, alioqui de arte poetica *librum* vel *libellum* aut *carmen* aut *poematium* dixerim. — Verum hæc adeo parvi esse momenti judico (quamvis longis aliorum disceptationibus agitata), ut mihi prope modum de lana caprina contentio hæc esse videatur." Stephanus etiam primus hoc carmen in fine epistolarum posuit.

ordine enumerandæ essent, res magis obscuraretur, quam fieret apertior, ne lucidus ordo deesset, in diversas partes dividendæ videbantur. Ex tribus enim generibus hominum interpretes ac judices nostri carminis comparatos esse video. Primum genus est eorum, qui Horatium hoc in carmine præcepta de arte poetica dare dicunt, sed nullo ordine, ne momento quidem et judicio ponderata; alterum genus est eorum, qui Horatium perfectam artis poeticæ doctrinam nobis tradidisse scribunt, summo studio atque diligentia confectam, in quibus sunt etiam illi, qui eum Aristotelem vel Platonem secutum esse existimant. Tertium denique genus est sane varium et mixtum; est enim eorum, qui hoc carmen peculiarem quendam ad finem, vel ad Pisonum animos a versibus faciendis deterrendos et avocandos, vel ad malos poetas castigandos exagitandosque, vel aliam ob causam his persimilem scriptum putant. Nostrum igitur erit, ut primum epistolam non ex variis præceptis nullo ordine positis compositam, sed uno tenore atque aptissima rerum et partium distributione scriptam esse demonstremus; alterius deinde generis hominum perversa judicia refellamus; in tertio denique genere describendo hoc nobis agendum erit, ut, quod viri quidam docti hallucinati sint, aperiamus, quid autem veri dixerint, approbemus atque confirmemus; postremo exponendum erit, quid de illa Aristotelis Platonisque imitatione vel æmulatione habendum sit.

I.

Primum igitur genus est eorum, qui non recta quadam dispositione prioribus sequentia annectente,

non discreto ordine carmen confectum, sed, prout res tulerit, modo de hac artis poeticæ parte, modo de illa Horatium locutum esse atque ita præcepta dedisse, utilia quidem, sed non cohærentia inter se, existimant. Et in hoc quidem genere omnes fere antiquos interpretes positos esse videmus, *Acronem*, *Porphyrionem*, præterea alios doctos viros, *Robortellium*, *Lambinum*, *Jul. Cæs. Scaligerum*, *Salmasium*, *G. J. Vossium*, tum præcipue Francogallos quosdam *Bouhierium*, *Dacierium*, *Desprezium*, *Batteusium* et alios. Ita jam in vetere scholio, quod *Porphyrio* nobis tradidit, hæc verba leguntur, quæ ab antiquo quodam interprete petita videntur: « *in quem librum congessit præcepta Neoptolemi Parii de arte poetica, non quidem omnia, sed eminentissima.* » Sed omnino veteres scholiastæ nescio quot præcepta de arte poetica huic carmini inesse dixerunt, quæ in unum redacta summatim enumerare opere pretium videtur.

1) Primum igitur præceptum dixerunt esse περὶ τῆς ἀκολουθίας, hoc est, de consequentia vel convenientia (ipsorum verbis utor).

2) secundum præceptum est de servando themate, seu de vitandis inanibus et affectatis episodiis.

3) tertium præceptum est de vitandis vitiis in charactere stili.

4) quartum præceptum, materiam esse deligendam, quam possimus implere.

5) quintum præceptum: quid sit dispositio.

6) sextum præceptum: de verbis veteribus et novis.

7) septimum præceptum: quibus metris singulæ res tractandæ sint.

8) octavo præcepto ostendit, quem characterem stili singula requirant.

9) nonum præceptum: admiscendum esse πάθος.

10) decimum præceptum: de formandis personarum characteribus.

11) undecimum præceptum: de veterum imitatione.

12) duodecimum præceptum: de ponendo principio.

13) decimum tertium præceptum: περὶ τῆς ἠθοποιΐας, sive de servando ethos.

14) præceptum decimum quartum: de non proferendis in scenam sive de nuntiis.

15) præceptum decimum quintum: de numero actuum et de personis.

16) præceptum decimum sextum: de choro.

17) præceptum decimum septimum: de musica.

18) præceptum duodevigesimum: de dramate satyrico.

19) præceptum undevigesimum: de pedibus jambicis.

20) præceptum vigesimum: sæpius corrigenda esse, quæ scripseris.

21) præceptum vigesimum et unum: de legendis philosophorum scriptis.

22) præceptum vigesimum et alterum: de fine poeticæ, docere scilicet et delectare.

23) præceptum vigesimum tertium: ob modica delicta non esse erubescendum.

24) præceptum vigesimum quartum: nil valere poema, quod non sit optimum.

25) præceptum vigesimum quintum: de adhibendo idoneo judice.

Hæc fere sunt præcepta illa, quæ nonnulli in nostro carmine invenisse sibi videbantur. Fuerunt quoque, qui majorem etiam numerum præceptorum, scilicet undetriginta, esse existimabant, immo *Georgius Fabricius, Chemnicensis*, in libro sexto operis sui, quod *de re poetica* inscriptum est, «*catholica præcepta*» quadraginta et unum ex Horati arte poetica desumpta enumerat. [1]) Quæ præcepta si ita ex Horatio excerpta et ordine collocata vides, sane non intelligis, quo modo inter se cohæreant. Sic profecto animo non facile concipias, quo modo ab illo præcepto, quo, quid sit dispositio, docuerat, ad illud, quod de verbis veteribus et novis agit, transire potuerit. Quod cum et alii jam vidissent, singula inter se connectere et ad unum conformare studuerunt, ita tamen, ut toti carmini non unam rationem, unum finem vindicarent. Itaque totum illis quasi epitome uberrimæ artis et compendium quoddam videbatur, in quo breviter, quæ huc spectarent, præciperentur et ad regulas quasdam dirigerentur. Ad hanc igitur sententiam inclinant *Jason de Nores* [2]), *Lambinus, Dacierius*, omnesque, quos supra memoravi. *Dionys. Lambinus* [3]) hac de re scripsit: «*Sic igitur Horatius in hac ad Pisones epistola quum de omni poeseos genere disputat, tum maxime de comœdia et tragœdia utilissima præ-*

---

[1]) pg. 771 sq. ed Lips. 1589. 8⁰. Erat Fabricius poeta et criticus natus a. 1516, mortuus a. 1571.

[2]) «interpretatio in artem poeticam Horatii.» — Jason Denores, Cyprius genere, postea philosophiæ professor Patavinus, obiit a. 1560.

[3]) com. in Hor. Ed. II. pg. 548 ed. Confluent 1830. — Erat Lambinus, quod satis notum est, professor litterarum Lat. et Græc. Parisinus, mortuus a. 1572. De ejus vita cf. Petri Lazeri narratio apud Orelli onom. Tull. Cic. opp. Tom. VI. pg. 478 sqq.

cepta dat, non ut philosophus, sed ut poeta.» In commentario deinde ostendit, unde hæc præcepta desumpta sint, ex Aristotele, an ex alio? Maxime memorabile est etiam *Andr. Dacierii* nostro de carmine judicium, qui vir, quamvis de Horatio optime meritus, singularia tamen quædam dixit, quæ documento sunt, quanta cum levitate Francogalli plerumque in interpretandis antiquis scriptoribus versari soleant. Dixit enim ille vir doctissimus [1]), Horatium in hoc libro ad Pisones præcepta dare de arte poetica, sed cum de quaque re, quæ in buccam venerit, disputaverit, inde factum esse, ut neque consilium in toto opere, quod secutus sit, neque ulla inter se partium cohærentia reperiri possit, imo ne absolutum quidem carmen videri; nihilominus tamen magno cum lepore scriptum esse. Ipsius enim verba hæc sunt: «*Comme il ne travaillait pas à cela de suite et qu'il ne gardait d'autre ordre, que celui des matières que le hasard lui donnait à examiner, il est arrivé de là, qu'il n'y a aucune méthode ni liaison de parties dans ce traité, qui même n'a jamais été achevé. Ce défaut de liaison et d'arrangement ne laisse pas d'avoir ses grâces, surtout dans des préceptes, qui doivent être libres et n'avoir rien de lâche, ni de languissant.*»

Ceterum Dacierius Horatium præcepta ex græcis philosophis, qui jam eadem de re scripserint, Aristotele, Zenone, Democrito, Neoptolemo hausisse et hunc in finem, ut artem poeticam illustraret, edidisse dixit. Haud procul ab hujus sententia absunt *Bouhierius* [2])

---

[1]) «introd. de ses notes sur l'art poët.»-- Natus est Dacierius a. 1651, mortuus a. 1722.

[2]) mort. a. 1746.

et *Batteusius*[1]), quorum primo egregia quidem præcepta, sed incomposite in acervum conjecta, carmini inesse videbantur (*«un tas confus de matériaux précieux»*), alteri singula quædam præcepta ex suo ingenio data (*«de maximes de goût, d'axiomes presque isolés»*). — Ab eadem præterea parte alius vir stat inter Francogallos eruditus, *Deprezius*, quod his verbis significavit: *«seu e Demetrio Phalereo, seu e Neoptolemo Pario, seu potius ex Aristotele, seu e proprii ingenii acrisque judicii fecunditate hauserit potissimum Flaccus noster, certe eminentissima quæque scribendi carminis præcepta hoc libello complexus est.»* Idem alio loco scripsit: *«artem poeticam vix appellem ab præceptiones saltuatim datas.»* Sed aliis quoque hæc sententia accepta; nam et *Gerh. Joh. Vossius*[2]) Horatium *«quasi per saturam præcepta congessisse»* dixit, et idem fere Anglus quidam, *Boscawenius*[3]) nomine, scripsisse perhibetur.

Præterea cum his facit *Salmasius*, qui in notis ad Epictetum et Simplicium[4]) hoc modo scripsit. *«non solum antiquorum* ὑποθῆκαι *in moralibus hoc*

---

[1]) cujus liber haud contemnendus ita inscriptus est: «les quatre poëtiques d'Aristote, d'Horace, de Vida, de Despréaux avec les traditions et les remarques par Batteux.» Vol. II. Par. 1771. 8°. — Erat autem Carolus Batteux philosophiæ professor in Collegio regio Parisino et obiit a. 1780.

[2]) «de artis poeticæ natura et constitutione.» Satis constat, celeberrimum hunc polyhistorem, theologorum controversiis multum vexatum, primum in Cantabrigensi, deinde in Leidensi academia munere functum esse usque ad a. 1649, quo obiit.

[3]) The satires, Epistles and Art of Poëtry of Horace translated in to English by W. Boscawen. 1797. 8°.

[4]) pg. 13. Lugd. Bat. 1640. Natus est Claudius Salmasius apud Francogallos a. 1588, obiit a. 1653.

habuere, ut ἀκολουθίαν non servarent, sed etiam alia de quibuscumque rebus præcepta. Sic epistola Horatii ad Pisones de poetica perpetuum ordinem seriemque nullam habet; sed ab uno præcepto ad aliud transilit, quamvis nulla sit materiæ affinitas ad sensum connectendum.» Denique *Julii Cæsaris Scaligeri*[1], acerrimi judicii viri litterarumque Latinarum peritissimi, judicium ejusmodi videtur, ut hoc loco laudari possit. Scripsit enim ille vir clarissimus in præfatione operis, quod *poetice* inscriptum est, ad Sylvium filium: «*nam et Horatius artem quum inscripsit, adeo sine ulla docet arte, ut satyræ proprius totum opus illud esse videatur.*» Quid autem de ordine statuerit, paullo post his verbis indicavit, «*ordinem neglexit Aristoteles, Horatius vitiavit.*» — Ceterum neminem fugit, doctissimum virum de aliis quoque Horatii scriptis singulare quoddam atque minus æquum judicium fecisse, quippe qui, insita Scaligerorum genti ostentatione atque arrogantia, satyrorum palmam non Horatio, sed Juvenali detulerit, cum Horatius, *modo pure dixerit, nihil pensi habuerit.*» [2])

Sed quid diutius in hac re commoramur atque illos enumerare conamur, qui tam perverse de nostro carmine judicarunt? Luce enim est clarius, et hac in re ad unum omnes consentiunt, etiam illi, quorum judicia nostro de carmine quam maxime variant, eos, qui Horatium nihil aliud nisi præcepta dare de poetis deque re poetica, et quidem inter se non cohærentia, dixerunt, neque dignitatis poetæ, neque

---

1) Natus a. 1484, mortuus a. 1558. Ipse originem a principibus Veronensibus traxisse gloriabatur; alii autem ignobili quodam patre Patavino eum natum dicunt.

2) poet. 6, 6.

carminis epistolæve rationem habuisse. Quos omnes refellere, ut facile est, ita non necessarium videtur, quoniam id, de quo omnes consentiunt, falsum vix potest esse; nihilominus tamen, cum nullum dictum tam absurdum sit, cui non veri aliquid subsit, etiam illorum judiciis veri aliquantulum inest, quod quale sit quidque falsum sit, paucis jam indicare in animo est.

Primum igitur hanc Horatii epistolam ad Pisones ad illud carminum genus, quod hodie didacticum appellatur, referri posse, certissimum est, cum ipse Horatius se docere dixerit.[1]) Verum Horatium carmen didacticum scripsisse, quod proprie nominatur, nemo serio ac vero ratus dixerit. Itaque vehementer illi erra-runt, qui hoc carmen nihil aliud nisi præceptionum collectionem sine ordine congestam esse putarunt. Scilicet non viderunt aut videre noluerunt, Horatium poetam esse, non grammaticum aut philosophum[2]), Horatium carmen scripsisse, non librum περὶ ποιητικῆς; non cogitarunt illi, in epistola nusquam illum exactum et severum ordinem inveniri, quo, in aliis libris pedestri oratione scriptis, orationibus, commentationibus, disputationibus, magnopere delectamur. Hic enim est omnium poetarum mos (eorum scilicet, qui sunt re vera poetæ, non qui esse simulant), quæ cum mente cogitata atque in pectore prompta habeant, non jejuna illa, quæ friget, oratione, sed cum ἐνθουσιασμῷ quodam dicere, quo abrepti sæpe a recta via paullulum deflectunt, modo hanc semitam ingrediuntur, modo relicta illa in pristinam viam redeunt. A Platone jam et Democrito in scriptis relictum est,

---

1) v. 306. 2) Unus Lambinus hoc vidit.

poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam afflatu quasi furoris.[1]) Quod cum maxime in aliis carminibus, in lyricis præsertim fieri soleat, in didacticis tamen nequaquam debet deesse. Non dico, poetas, ut deo agitati videantur, in insaniam atque dementiam debere incidere, sed semper est sanitas atque integritas servanda, ita ut ἐνθουσιασμός excitet tantum animum, singula autem sana mente conscripta sint. Quare noster recte eos deridet, qui, spreta arte, summam negligentiam in corpore curando affectarunt, ut divino illo furore perciti videantur. [2]) Quæ cum ita sint, non est mirandum, quod tam multa carmina didactica, in quibus poeta κατ' ἐξοχήν docendo studuit, tam languida, tam jejuna sunt, ut in illis nulla animi alacritas sit, in quibus, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidianæ dissimile commentationis. Sed aliter apud Horatium res se habet. Ingenii alacritas, quæ ei propria est, sermonis lepor, admirabilis quædam elegantia atque venustissimus pulchri sensus non modo ab omni perversitate atque ineptiis, in quas ceteri inciderunt, eum prohibent, sed etiam ad verum inveniendum ita ei viam muniunt, ut ejus sermones atque epistolæ usque ad nostrum diem merito exempla hujus poësis generis perfectissima laudentur. Jam nemo non intelligit, quam iniqua illorum judicia sint, qui ordinem carmini inesse negarunt. Nam quamvis is ordo non inveniatur, qui in commentationibus aliisque libris est, qui nos aliquid edocent, idcirco dici non potest, nullum inesse. Sed factum est hoc ex more illius tempo-

---

[1]) Cic. de or. 2, 46. [2]) v. 295 sqq.

ris, quo isti homines vixerunt, et præsertim Francogallorum, qui ita scriptores interpretari solebant, ut, si quæ non statim comprehendebant, ineptissima dicere haud dubitarent. Quanquam (vix crederes) ipsis nostris temporibus eandem hanc viam interpretes quidam ingressi sunt; nam et *Wetzelius* præcepta illa, quæ in nostro carmine esse tradita sunt, in gratiam eorum, qui illa uno obtutu cognoscere et lustrare cupiant, collegit, et ipse *Dœringius* ea in sua editione repetiit, cum tamen recte statuisset, Horatium ea ad certum ordinem redacta accuratius, subtilius et doctius exponere noluisse.

Denique non solum ex carminis ratione, sed etiam ex ipsius Horatii verbis manifestum est, illud non sine ordine scriptum esse. Quis enim virum rei poeticæ atque sermonis tam peritum et in omni judicio elegantissimum in eo offendisse putaverit, quod ipse præcepit? Quod si verum esset, ipse se levitatis atque impudentiæ condemnasset. Si enim non in unitatem quandam coit hoc carmen, quo modo dicere potuit:

denique sit, quod vis, simplex dumtaxat et unum, [1])

si nullus ordo est, si oratio adhærescit, quid hoc sibi vult:

cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. [2])
Verbaque provisam rem non invita sequentur. [3])

Ad extremum dignitati poetæ ab istis hominibus male consultum esse apparet. Namque si *Dacierio, Bouhierio, Batteusio* fidem habes, Horatius imbecilli animi homo fuit, quippe qui in carminibus scribendis non arbitrio

---

[1]) v. 23. [2]) v. 40 sq. [3]) v. 311.

suo usus, sed nescio quo casu, tanquam navis in alto a ventis jactata, modo in hanc rem, modo in illam delatus sit. Quam rem contra se habere, monere non necessarium est. Nam etiamsi Horatius non Stoicæ constantiæ atque rigoris vir fuerit, in carminibus scribendis tamen neque consilio quodam ductum fuisse, neque certum quendam finem habuisse, nemo hercle sobrius dixerit, nisi forte insanit.

Sed hæc hactenus; sufficiunt enim, ut jam initio intelligamus, non omnia in hoc carmine esse sursum deorsum versata, sed sarta tectaque se habere. Omnium autem optima harum sententiarum refutatio est expositio argumenti, de quo, quoniam infra fusius disputatum est, hoc loco non agendum, sed ad secundum genus transeundum videtur.

II.

Quod fere fieri solet (id quod ipse Horatius dixit), in vitium ducere culpæ fugam, si careat arte, id alterius, quod nos statuimus, generis hominibus evenit, qui primorum vitia vitantes in contraria incurrerunt. Cum enim vidissent, in judiciis, quæ de Horatii epistola ad Pisones facta erant, multa falsa inesse, in segregandis erroribus occupati eo pervenerunt, ut carmen non modo apta dispositione non laborare, sed, summa concinnitate exornatum, perfectissimum rei poeticæ σύστημα complecti dicerent. Quod judicium, perversa carminis inscriptione altum, adeo invaluit, ut *Marcus Hieronymus Vida*, poeta Cremonensis [1]), et *Nicolaus Boileau* [2]), quem Francogalli

[1]) natus a. 1470, m. a. 1566. »*de arte poetica lib. III.*«

[2]) *Boileau - Despréaux*, n. a. 1636, m. a. 1711. »*l'art poétique.*«

hodie quoque permagni facere solent, ad exemplar Horatianum artem poeticam conscriberent, a quibus nonnulli perhibent Venusinum poetam concinnitate sententiarum atque sapienti *οἰκονομίᾳ* longe superari.[1]) Etiam hoc temporis ratio ita tulit, ut, sicut antea scriptores extremis tantum, ut dicunt, digitis attingebantur, jam ita explicari cœpti sint, ut omnia ad vivum resecta et omnia pulchra rectaque laudata sint; quod studium, quamvis minutum, usque ad nostram ætatem viguit. Ita jam *Michelsenius,* professor Berolinensis, in nostro carmine vestigia quædam ordinis detexit, quod ex tribus partibus constare demonstravit. Primo loco esse proœmium usque ad v. 37, deinde præcepta in universum data usque ad v. 153, et ad fabulam maxime spectantia usque ad v. 308; tertio denique loco varia esse præcepta, quæ ad viam finemque pertineant, quibus poeta nomen consequatur.[2]) Quæ omnia vir doctissimus numeris litterisque quasi signis additis illustrare conatus, in eo maxime erravit, quod *Lessingii* quodam dicto ductus Horatii carmen poetæ scribenti non minori usui fore, quam mathematico Euclidis elementa, multis demonstrare studuit. Sed primus in aperienda sua sententia uberius hunc carminis finem exposuit *Joh. Christ. Regelsbergerus*, professor Viennensis, qui attentiore rhetoricæ studio, Aristotelicæ præcipue ductus, sibi persuasit, Horatium imitatum esse Aristotelem, ordinem servasse egregium et epistolam hanc carmen esse didacticum omnibus

---

1) ex. c. Voltaire, dictionnaire philosophique au mot art poétique: «L'art poétique de Boileau est supérieur à celui d'Horace. La méthode est certainement une beauté dans un poëme didactique; Horace n'en a point.» 2) ed. Halle. 1794. 8°.

numeris absolutum, imo omnium antiquitatis perfectissimum, id quod immoderata verborum magnificentia jam in titulo indicavit.[1]) Magna igitur sagacitate vir doctissimus omnibus flexibus, transitionibus exemplisque suum ad finem usus, adhibitis illis, quæ Aristoteles de inventione, dispositione atque elocutione docuerat, ex nostro carmine artis poeticæ σύστημα confecit, quod, si re vera ita se haberet, sane perfectissimum esset. Ut autem, quid ille sibi velit, quisque cognoscat judiciumque facere possit, exemplum expositionis infra adscribere operæ pretium videtur.

THEORETISCHE DICHTKUNST.

Allgemeiner Theil.

Von den Eigenschaften vollkommener Gedichte überhaupt.

I.	Von der Erfindung	Vers	1	bis	32
II.	Von der Anordnung	—	32	—	47
III.	Von dem Ausdrucke	—	47	—	119

1. Die Erfindung sey wunderbar und wahrscheinlich; sie wird wunderbar durch die Mannigfaltigkeit, wahrscheinlich durch die Einheit. Die Uebereinstimmung des Mannigfaltigen ist Vollkommenheit und das Geheimnifs der Dichtkunst.

2. Die Anordnung wird deutlich, kraftvoll und schön durch die kluge Wahl des Stoffes, und durch einen künstlichen Entwurf des Plans.

3. Der Ausdruck wähle schicklich die Worte, auch neue, die Versart, den Styl. Der Styl schicke sich zum Stoffe, rühre die Herzen, schildre die Sitten.

---

[1]) Horazens Dichtkunst in neu entdeckter Ordnung: das vollkommenste Lehrgedicht des Alterthums, ein Meisterstück der Nachahmungskunst und Kürze. Lateinisch nach einer 800jährigen Handschrift. Übersetzt in ebendieselbe Versart mit Commentar, Anmerkungen, Lesearten und einem Auszuge aus Aristoteles Dichtkunst von J. Christoph Regelsberger, der Weltweisheit Doktor, K. K. Professor der Rede- und Dichtkunst. Wien. 1797. 8°.

Besonderer Theil.

Von den Eigenschaften der vornehmsten Dichtungsarten, die besonderer Regeln bedürfen: des Heldengedichtes, Trauerspiels, Lustspiels, Satyrspiels.

I. Von ihrer Erfindung insbesondere, vorzüglich des Stoffes zum Trauerspiele (V. 119 bis 136).

II. Von der Anordnung insbesondere.
  1. Der Theile des Heldengedichtes (V. 136 bis 153).
  2. Des Trauer- und Lustspiels (V. 153 bis 220).

III. Von dem Ausdrucke insbesondere.
  1. Des Satyrspiels (V. 220 bis 251).
  2. In der Jambischen Versart, die den drey Schauspielarten gemein ist, und von den Römern wenig, von den Griechen genau beobachtet wird (V. 251). bis 275).

Zum Beschlusse eine kurze Geschichte des Schauspiels, das die Griechen zur Vollkommenheit gebracht haben, die Römer noch nicht (V. 275 bis 289).

PRAKTISCHE DICHTKUNST.

Von den Pflichten des Dichters vor, in, und nach der Verfassung eines vollkommenen Gedichtes.

Eingang. Von den Hindernissen, die den Römern bisher im Wege gestanden, den Griechen an Vollkommenheit ganz zu gleichen. Sie halten die Verbesserung und Feile für zu mühsam, zu langweilig und den Kunstfleiſs aus Zutrauen auf ihr Genie für unnöthig. (V. 285 bis 306).

I. Pflicht des Dichters vor der Verfassung.
  1. Er bilde sich durch die Kenntniſs der Menschen, wie sie seyn sollten (durch die Philosophie).
  2. Er setze die Bildung fort durch die Kenntniſs der Menschen, wie sie wirklich sind (durch die Welt. kenntniſs).
  3. Er bilde sich aus durch die Nachahmung und Nacheiferung der Griechischen Meister, und ihrer uneigennützigen Ruhmbegierde (V. 306 bis 333).

II. Pflicht des Dichters während der Verfassung.

1. Er bemühe sich, wie es geziemt, sein Gedicht zugleich lehrreich und angenehm zu machen (V. 333 bis 347).
2. Er verdecke die wenigen und kleinen Fehler der Schwachheit mit glänzenden und vielen Schönheiten, und stelle ein vollkommenes Gemählde auf (V. 347 bis 366).
3. Er halte für ungeziemend und unerlaubt, ein mittelmäſsiges Gedicht zu verfassen (V. 366 bis 379).

III. Pflicht des Dichters nach der Verfassung.

I. Er befolge genau, was wahre Klugheit fordert; er mache sein Gedicht nicht öffentlich bekannt, wenn es nicht die Vollkommenheit erreicht; diese zu erhalten soll er

1. Durch das Beyspiel und den Ruhm groſser Dichter sich ermuntern, um die mühsame Ausbesserung und Feile auf sich zu nehmen (V. 379 bis 408).
2. Den Kunstfleiſs aus Zutrauen auf seine glückliche Naturfähigkeit nicht als unnöthig ansehen, nicht zu früh sein Gedicht bekannt machen, sondern mehrere Jahre zu Hause halten. (V. 408 bis 419).
3. Dem Urtheile echter Kunstrichter es unterwerfen (V. 419 bis 453).

II. Er meide den Irrthum, in den Schmeichlerlob, thörichte Eigenliebe, Ruhmsucht, Ungelehrigkeit stürzen, wenn er sich nicht dem öffentlichen Spotte preis gegeben will (V. 453 bis zu Ende).

Et hoc quidem judicium tantum abest, ut nimis antiquum atque obsoletum sit, ut nostris etiam diebus viri docti id probarint atque confirmarint. Ita nuper *E. Hohlerus*, qui in librum nostrum commentaria composuit [1]), nimirum ut laudem professoris Viennensis

---

[1]) Hor. ars poetica mit ausführlicher Erklärung von E. Hohler. Wien 1824. 8°.

ab obtrectationibus hominum doctorum vindicaret, magna ex parte Regelsbergerum secutus eandem, quam ille, sententiam professus est. Quin *A. Arnoldius* [2]), vir philosophia quam maxime excellens, libellum editurus hoc sibi proposuit, ut illum aptissimam institutionem ad rhetoricam, quæ æsthetica appellatur, non modo tironibus, sed etiam omnibus, qui in his rebus diligentius erudiri vellent, commendaret. Cujus quidem expositionem maxime subtilem infra percensere placet. [3])

Erster Theil. Die Dichtkunst an sich, ihrem Wesen nach.

I. *Allgemeiner* Theil: die Dichterwerke in Hinsicht auf

A. Die *Einheit*, und zwar
- a) des Inhaltes.
- b) der Form.

B. in Hinsicht der *Sprachdarstellung*;
- a) als eine Verstandesthätigkeit: *Ordnung* überhaupt; *Wörter*.
- b) als ein Werk des Geschmackes, des Schönheitssinnes:
  - 1) Musikalisches: *Versmass*.
  - 2) Malerisches: *Stil*; Farbe; Wahrheit.

II. *Besonderer* Theil: die Dichtkunst:

A. *theoretisch*, ihren einzelnen Arten und Gesetzen nach betrachtet:
- a) Wahl und Behandlung des Stoffes jeder Kunstgattung.
- b) Beginn und einheitliche Durchführung des Gedichtes.
- c) das Drama insbesondere:
  - 1) Sitten, Charaktere.
  - 2) Einzelne dramatische und theatralische Forderungen.

---

2) Des Horaz Brief an die Pisonen oder über die Dichtkunst (als Einleitung in die Ästhetik, für Schulen und Gebildete überhaupt). Von August Arnold. Berlin, Posen und Bromberg. 1836. 4°.

3) pag. 11.

B. *Geschichtliches.*

a) Hauptmomente der Geschichte des Drama's in Hellas und Rom.

b) Zustand der Kunst in Rom.

Zweiter Theil. Die Dichtkunst *in Beziehung*

A. *auf sie selbst.*

a) Ihr *Zweck.*

b) Nur vollendete Kunstwerke sind von *Werth;* und wie solche hervorzubringen sind.

c) Hohe *Wirkung* der Kunst überhaupt, wie ihrer einzelnen Arten.

B. Die Dichtkunst in Beziehung auf den Künstler.

a) die Bedingungen für diesen: *Anlagen* und *Fleiss.*

b) Frei von Dünkel soll er das *Urtheil kunstverständiger Männer* beachten.

c) Bild eines überspannten, wahnsinnigen Dichters.

Et hæc quidem Arnoldius de argumento, in quibus sæpius cum Regelsbergero consentit; sed in hoc ab eo differt, quod non perfectissimam rhetoricam, quæ æsthetica appellatur, Horatium dedisse dicit, sed eminentissimas tantum, ut cum Porphyrione loquar, præceptiones atque leges severissimo ordine confectas. « *Findet man auch keine vollständige bis ins Einzelne hinab und nach allen Seiten auslaufende Kunstlehre; so wird man doch dasjenige, was für ein Lehrgedicht überhaupt angemessen ist, und was Horaz eben für nöthig und zweckmässig für seinen Brief erachtete: — die wesentlichsten und allgemeinen Forderungen und Gesetze in Hinsicht eines Dichterwerks und eines Dichters, — im innigsten Zusammenhange und in strengster logischer (systematischer) Ordnung und Einheit erkennen.* [1]) — *Die Kunstlehre*

---

[1]) pag. 6.

des Horaz ist der innern oder Hauptform nach ein Lehrgedicht, und der äussern oder Nebenform nach ein Brief. (?) — Die Form des Briefes fordert nebenbei die Berücksichtigung der Verhältnisse der Personen, an welche das Werk gerichtet ist. Wer diese Pisonen gewesen sind, ist für die Sache ganz gleichgültig. (!) Das aber ist hervorzuheben, dass der Brief nicht an alle gleichmässig gerichtet ist. An den Vater und die Söhne zusammen wendet sich derselbe im Ganzen ohne Unterschied; aber ein Theil ist bloss an den ältesten der Söhne gerichtet, der hier auf eine sehr feine und umhüllte, aber doch unzweifelhafte Weise von den unglücklichen Versuchen in der Dichtkunst abgemahnt, oder doch wenigstens vor der Gefahr gewarnt werden sollte, in die er leicht gerathen könnte.»

Restat, ut *Dan. Heinsii* mentionem faciam, qui et Horatium et Aristotelem de arte poetica edidit,[1]) hominis magnæ arrogantiæ et perversæ sagacitatis,[2]) qui «*præclaram esse quidem et vere admirandam ad Pisones epistolam* statuit, *sed eam, qualem Horatius scripserit, non eam, quæ vulgo circumferatur. In hac enim profecto non immerito summos ætatis viros nullum ordinem reperire sese posse etiam cum stomacho et auctoris contumelia testatos esse; sed hoc non esse divino auctori adscribendum, imo librariorum fraudem ac prope scelus esse, cum pro libitu suo isti carnifices omnia luxaverint ac divulserint omnis plane ordinis securi. Librarios enim istos, quod fieri soleat, negligenter et fastidiose descripsisse, homines*

---

[1]) Lugd. Bat. 1611. [2]) natus a. 1582 ob. a. 1625.

aut pecora verius, mercede conducta; alibi etiam plagulas male conjunxisse. Quare, ut pristinus status restituatur, permulta transponenda esse. Ceterum omnibus fere ex antiquitate, qui præcepta vitæ scripserint, idem evenisse; totum Theognidis libellum unam fere ac perpetuam esse transpositionem. Nulla enim tam impune, quam quæ non cohæreant, transponi.» [1]) Transposuit igitur Heinsius multa inde a v. 77, præterea inde a v. 257, 275 sqq., 391 sqq. Et hæc quidem de ordine; de argumento autem hoc judicavit, «*plurima ac pleraque præcepta esse ratione quadam admirabili a maximo auctore nexa ac conjuncta summo studio ac cura, neque dubitari oportere, quin ea, quæ de rebus metricis agant, apud Parianum Neoptolemum invenerit Flaccus, e quo hæc epistola adumbrata sit; ceterum etiam Aristotelem secutum esse et fere omnia ex eo deprompsisse.*» [2]) Quod denique finem attinet, quem Horatius in scribendo carmine habuerit, non est dubium, quin Heinsius Horatium poeticen scribere voluisse censuerit; significavit enim id his fere verbis: «*præcipue autem poetas Romanos in hac parte tangit.— Tractat autem hæc non eo fine, quo grammatici, qui περὶ ποδισμῶν scripserunt, verum ut dramaticum poetam perficiat.*» [3]) Denique non prætermittendum est, eadem incredibili audacia et Italum quendam, cui *Patrini* nomen est, [4]) Horatii versus transposuisse, et *Bouhierium Bentlejumque* meliorem, quam qui placuit Horatio, ordinem constituere conatos esse. — Verum de his satis dictum est, deinceps ad examinanda hæc judicia transeamus.

---

1) pag. 208. 2) pag. 205. 166. 129. 146. 3) pag. 204.
4) Poetica di Q. Oratio Flacco restituita all' ordine suo. Roma 1780.

In universum duæ potissimum res contra hæc judicia objiciendæ videntur. Primum enim, si Horatius perfectum artis poeticæ σύστημα confecit, qui factum est, ut tanquam navis multa saburra gravata alienis rebus ornatum carmen hoc videatur, cum Horatius haud dubie tanta scientia instructus fuerit, ut non ad rimas explendas ea infercire opus habuerit? Cur in malos poetas invehitur atque in adulatores? Cur tam multa prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta profert? Cur fabellis atque imaginibus tanquam stellis quibusdam res notavit et illuminavit, non nuda atque vacua ab omnibus ornamentis oratione usus? Cur denique ad Pisones scripsit, cur eos gravissime alloquitur et admonet? Quæ omnia, si verum est, quod illi dixerunt, vix intelligi possunt, et sane carmen videtur opus ineptiis rebusque pravis refertum.[1] — Sed aliud etiam et contrarium quidem carmini, si perfectum artis poeticæ σύστημα est, vitio est dandum. Scilicet si perfecta res est, est apta undique atque expleta omnibus suis partibus, ita ut nihil desiderari queat. Atqui Horatii carmen ejusmodi est, ut complures illius uberrimæ artis partes non tractentur, quæ tamen in libro de arte poetica tractari solent, quasque jam Aristoteles explanavit. Ita nihil invenitur de imitationis ratione, de qua Aristoteles jam ab initio largius disputavit, de origine atque cultu poesis, de differentia ab historia, de ejus

---

1) ut jam *Wielandius* suo more dixit: (pag. 192) «Diese sogenannte Horazische ars poetica wird, sobald man will, dass sie ein Compendium der Dichtkunst sein soll, ein übelzusammenhängendes, flüchtiges, mit Nebensache und Radotage angefülltes Sudelwerk.»

generibus, de genere lyrico, in quo ipse excelluit, de multis denique aliis rebus apud Horatium nihil aut perpauca modo dicta invenies. Satis igitur manifestum est, Horatium artem poeticam perfectam scribere noluisse; nam ecquem tam amentem esse putas, qui illa gravissima de re poetica scripturo non attigenda esse credat? De *Regelsbergeri* autem systemate quid quæris? Tanta enim subtilitas sententiarum atque enucleatissima rerum dispositio in nullo carmine didactico, ne in ipsis quidem subtilissimis dissertationibus conspicitur, nedum in hoc carmine, quod, quippe epistola, solute ac libere movetur! Quanta vi in *speciali*, quam dixit, potissimum parte, primarium sensum detorsit, ut, quæ ab Aristotele in libris rhetorices disputata sunt, descriptioni suæ accommodaret! Quanta perturbatio atque confusio ordinis, cum exempla inventionis a tragœdia, dispositionis autem a carmine epico et comœdia, elocutionis denique a fabula satyrica atque metro jambico petita sint! Quanta subtilitate est ista divisio in partem *theoreticam atque practicam, generalem* atque *specialem?* Nonne ex vano hausta sunt illa officia poetæ, quæ et ante carmen scriptum et in scribendo et post compositum carmen esse statuit? Quam paucula denique partibus insunt, quæ tamen inesse inscriptione monitum est! Quis jam in triginta primis versibus inventionem, mox in ceteris dispositionem doceri sibi persuadebit? Nonne Horatius illam partem, quæ de *elocutione generali* agere dicitur, de vocabulis veteribus atque novis describendis orsus, inepte et inscite tractare videtur? Sed dies nos deficeret, si omnes errores, in quos Regelsbergerus nimio suo studio ad artificiosissimum

artis poeticæ σύστημα redigendi carminis tanquam cæcus in foveam incidit, notare conaremur, qua re, ab aliis jam suscepta, facile supersedere possumus. Libenter igitur ego quoque subscribo judicio, quod *Eichstadius*, v. cl., olim hac de re tulit:[1] «*in multis vir doctissimus cupidius egit, quam verius; ad obtinendam caussam versus contorte explicuit planeque immemor rationis Horatianæ, nimio suæ opinionis amore eo se passus est abduci, ut, quum nonnulli olim artem sine arte ab Horatio traditam pronuntiarint, nunc poeta artem putida arte scripsisse censendus sit.*»

Venio jam ad *Arnoldium*, cujus quidem prolegomena, quæ de Horatio poeta atque philosopho, de rhetorica, quæ æsthetica appellatur deque argumento carminis agunt, etsi magna cum sagacitate confecta esse non negaverim, ex animi mei sententia ingenue ita tamen esse confiteor, ut ego illis magnopere delectari vix queam, quippe quæ me ad studia quorundam hominum admoneant, celebrata quidem a multis, sed toto pectore mihi odiosa, qui videlicet ex notionibus animo ante perceptis omnia explicare atque a priori, uti dicunt, res enodare conantur. Quod studium si ad philosophiam tantum spectaret, quæ proprie dicitur, facile vigere paterer; sed in ceteris disciplinis non ferendum est, quia falsa commentatur, vera obscurat. Illud vero plane non est ferendum, ex illis reconditis atque abstrusis legibus scriptores explicari, omissa rerum ac linguæ accuratiore investigatione, quæ sola sensum scriptorum aperire potest. Nulla enim philosophia, ne perfectissima qui-

---

[1] Eichstädt: Anhang zu Ast: de Platonis Phædro. pag. 175.

dem, magica quadam arte claustra scriptorum tibi revellet, sed diurna nocturnaque manu Græca versanda sunt et Romana exemplaria, ut, accuratissima rerum linguarumque scientia parta, tibi vetustas res scribenti antiquus fiat animus. Quare equidem philosophum non eum existumo, qui poetam optime explicet, ut etiam satis constat, ex omnibus iis, qui in philosophorum studiis sint versati, minimam copiam poetarum egregiorum exstitisse. Sunt tamen quædam, quæ Arnoldius recte dixisse videtur, in quibus est illud, Horatium non *omnem* rhetoricam æstheticam sive artem poeticam complexum esse. Sed in hoc longius, quam fas est, progressus est, quod carmen severissimo atque exactissimo ordine confectum esse scripsit. Ex iis enim, quæ supra dixi, satis, opinor, manifestum est, non inesse, neque esse posse illam *ἐπιστημονικὴν εὐταξίαν*, quæ in scientiarum disciplinis adhibetur; nihilominus tamen non esse ita confusam orationem atque ita perturbatam, nihil ut sit primum, nihil ut secundum. Ceterum neminem fugere volo, in aliis rebus mire quam Arnoldium hallucinatum esse; dicere enim, non multum interesse, quod carmen hoc epistola sit, neque Pisonum magnopere rationem esse habendam, hominum est parum considerate loquentium. Sed in universum Arnoldius plenam nobis disputationem reliquisse video, quam alio fortasse loco dabimus.

Quod denique *Heinsium, Bouhierium, Bentlejum, Patrinium* attinet, dubium esse nequit, quid de horum judiciis habendum sit. Jam enim diis bene juvantibus non amplius ea ætate vivimus, qua scriptores ex lusione quadam ingenii et sagacitatis ostentandæ causa temere et nulla ratione explicabantur, sed ante omnia

hodie codicum auctoritatem sequendam esse et in scriptoribus explicandis non temeritatem et casum, sed rationem et consilium valere debere, recte judicatur. Quare illarum transpositionum sane nulla ratio est habenda, præsertim in scriptore, cujus tot tamque antiqui exstant codices. Ceterum Heinsium etiam in eo, quod de argumento atque fine carminis statuit, in maximo errore versatum fuisse (sicut omnes, qui tale quid statuerunt), posthæc paucis indicabimus.

Hæc igitur sunt, quæ horum virorum judiciis mirifice adversantur, quorum alteri religiosiores culpam neglecti ordinis, quem ne ipsi quidem invenisse sibi videbantur, in librarios conjecerunt, alteri, non simplices atque aperti veritatis cultores, cum temere hoc ac nulla ratione dictum intellexissent, ut nexum sententiarum strictissimum atque exactissimum ordinem restituerent, longius progressi, quam res et veritas ipsa concessit, ea dixerunt, quæ, proh dolor! ficta tantum atque commentitia sunt et nusquam gentium, quam in illorum mentibus, philosophia in errorem abductis. Verumtamen Horatius non solus est, cui tanta vis est allata. Quid quæris? Eandem sortem nactus est Homerus, ex quo philosophi cognitiones verborum atque rerum notiones extorserunt, quibus ipsi imbuti fuerunt. Etenim si Sexto, Stobæo (ut posteriores omittam) fidem habes, Homerus aquam esse initium rerum, mundum autem finibus circumscriptum et ad prima elementa, aquam terramque, recasurum docuit; ceterum intelligere atque sentire ad idem redire et animum esse cordi suffusum sanguinem ab iisdem statuisse traditur. Quid plura? Diis jam sunt gratiæ agendæ, quod Homerum non ex Sexto atque Stobæo,

et Horatium non ex Regelsbergero atque Arnoldio cognitum habemus. — Sed jam tempus postulare videtur, ut ad tertium genus describendum accedamus.

III.

In tertio genere ea judicia enumeranda et examinanda sunt, quæ maxime a nostræ ætatis doctissimis viris summa diligentia atque doctrina elaborata haud dubie ceteris omnibus ad veritatem propius accedunt et ulteriore examine digna sunt. Et quamvis omnes peculiarem quendam ad finem Horatium hanc epistolam ad Pisones scripsisse judicent, tamen in eo dissentiunt, quid peculiare illud fuerit, quare, ut recte procedret disputatio, iterum tribus generibus subjiciendi videbantur. Noli tamen credere, pugnaciter inter se certare, sed complures admodum similia edicunt. Primo enim loco sunt ii, qui ad fabulam Romanam castigandam, exagitatis simul poetis scenicis æqualibus, Horatium hanc epistolam scripsisse putant; secundo deinde loco sunt ii, qui Horatium id spectasse existimant, ut Pisonum, et maxime quidem filii natu majoris, animum a versibus faciendis avocaret, non sine irrisione malorum sui temporis poetarum; postremi ii sunt, qui Horatii id potissimum consilium fuisse censent, ut, inelegantia atque perversitate poetarum describenda nimium sæculi versuum faciendorum studium cohiberet atque compesceret, quam ad rem colloquiis, quæ fortasse cum Pisonibus seruerit, usuve familiari permotum judicant.

A. Quos primo loco enumeravi, in eorum numero sunt *Baxterus*, *Hurdius*, et, si quæris, *Sanadonius*

atque *Engelius.* Primus *Guil. Baxterus* [1]) dilucide his verbis, quid Horatius hac epistola voluerit, indicavit: «*Artem poeticam,* inquit, *comico, hoc est, satyrico stilo conscripsit. Satyra hæc est in sui sæculi poetas, præcipue vero in Romanum drama.*» Eandem professus est sententiam, quam insuper commentario in nostrum libellum confecto confirmare studuit, *Richardus Hurdius*, Anglus natione [2]), elegantis autem vir judicii, cujus quidem verba vernaculo sermone ita sonant. [3]) «*Der Inhalt dieses Gedichts ist, wie ich voraussetze, ein einziger, nämlich der Zustand des römischen Schauspiels.*» Ad hanc igitur rationem non solum totius operis argumentum, sed etiam singula præcepta conformata esse demonstravit. Quare carmen egregio ordine compositum in has tres partes divisit. 1) In prima parte (v. 1—89) esse præparationem ad proprium epistolæ argumentum, quæ in præceptis quidem in universum datis atque in judiciis ad poesin pertinentibus versetur, insequentes tamen partes respiciat. 2) In altera et propria epistolæ parte (v. 89 — 295) scenæ Romanæ, imprimis tragœdiæ, præcepta dari. 3) In ultima parte correctionem in scribendo commendari, quæ fere semper ad genus dramaticum referenda sit, cui prosperiores successus efficere studeat. *Sanadonius* quoque, Francogallus, [4])

---

1) W. Baxteri judicium de Horatio atque ejus scriptis pag. 36 ed. Bothe. Natus Baxterus a. 1650 obiit a. 1723.

2) Horazens Episteln an die Pisonen und an den Augustus mit Kommentar und Anmerkungen nebst einigen kritischen Abhandlungen von *K. Hurd.* Aus dem Englischen übersetzt und mit eigenen Anmerkungen begleitet von *J. J. Eschenburg.* Lpg. 1772. 2 Th. 8°.

3) pag. 19. cf. Einl. pag. 3.

4) Natalis Steph. Sanadon, e societate Jesu, natus a. 1676 bibliothecarius obiit in collegio Ludovici magni a. 1733.

vir acris ingenii nec sine doctrina, egregium de nostro carmine judicium fecit, quod tamen ejusmodi est, ut dubium videri possit, quo loco recte enumeretur. Cum enim ex indignatione, quam Horatio commoverant poetæ æquales atque ex Pisonum studiis hanc epistolam ortam esse pronuntiarit, ex omnium fere judiciis aliquid in suo conjunxit. Sed ipsius verba maxime memorabilia hæc sunt: «*Horace a semé en beaucoup d'endroits de ses satires et de ses épîtres plusieurs excellentes réflexions sur la même matière. Mais l'indignation qu'il conçut contre quelques écrivains de son temps, qui se vantaient d'être poëtes, sans connaître le génie de la véritable poésie, et peut-être les instances de Pison et de quelques autres de ses plus illustres amis l'engagèrent à s'expliquer plus au long sur un sujet, où personne ne pouvait donner des règles plus sûres; c'est ce qui a fourni occasion à la pièce que nous examinons. Il ne s'est pas proposé de faire un traité complet de la poétique et il s'est réduit à toucher seulemeut les principaux préceptes de l'art, autant que le permet le caractère d'une épître, qui demande une grande liberté et qui ne saurait guère compatir avec la contrainte d'un ouvrage méthodique et régulier.*» [1])

Engelius denique, Hurdii atque Sanadonii judiciis in unum coactis, castigationem in hac epistola esse dixit poetarum Romanorum atque criticorum, in qua tamen fabulæ maxima ratio habita sit. Sed

---

[1]) Les poésies d'Horace traduites en français avec des remarques et des dissertations critiques. Par le R. P. Sanadon de la compagnie de Jésus. Paris 1776. 8°. Tom VII. pag. 32.

ipsum loquentem induco.[1] «*Ich glaube daher*, inquit, *einen aus dem Inhalt und der Veranlassung des Werks leicht zu rechtfertigenden Mittelweg zu gehen, wenn ich Kritik und Zurechtweisung der römischen Dichter und römischen Beurtheiler, mit besonderer Rücksicht auf das Drama als den Hauptzweck der Epistel ansehe. Dass Horaz beide Gattungen mehr als einmal in seinem Wege angetroffen habe und eben so wenig dem Neide der Dichterlinge, als der Tadelsucht und den schiefen Urtheilen der Halbkenner habe entgehn können, davon zeugen seine Satyren und Briefe an mehrern Stellen. — Auf der andern Seite ist es eine ausgemachte Wahrheit, dass das Augusteische Zeitalter, das Zeitalter des Geschmacks und der Künste, bei vielen Meisterstücken fast in jeder Dichtungsart, das römische Theater um nichts gebessert, ja, durch die Einführung der Mimen vernachlässigt und verschlimmert hat. Es ist also sehr natürlich zu denken, dass Horaz 1) überhaupt dem gepressten Herzen hat Luft machen, und, ohne eben eine förmliche Poetik zu schreiben, einige Hauptfehler der römischen Dichterwelt und einige Grundsätze der römischen Kunstrichter rügen, vorzüglich aber 2) seine Meinung über das römische Theater, den unangebautesten Theil der Nationaldichtkunst, sagen, die Ursachen von dessen Unvollkommenheit angeben und einige ausführbare Mittel zu seiner Verbesserung habe vorschlagen wollen. Es wird dann begreiflich: a) warum er die epistolische Form wählte: weil sie ihn an kein*

---

[1] Horazens Epistel an die Pisonen mit einem durchgängigen Commentar und Anmerkungen herausgegeben von Michael Engel, Prof. der Philosophie zu Mainz. 1791. 8°. Einl. pag. 3 sq.

strenges System band und ihm die Freiheit liess, das attische Salz, wann und wie er wollte, über die schlechten Dichter auszustreuen; warum er b) an zwei junge Männer schrieb: weil er so unter dem Vorwande, ihrem Gschmack die Richtung zu geben, ohne alle Prätension seine Lehren und seine Kritik anbringen konnte; warum er c) im Anfange so viel über Einheit des Plans und Sprache, und am Ende so viel über die Mittel, das Dichtergenie zu nähren, und über die Nothwendigkeit und Wahl kritischer Freunde sagt: weil er allen und jeden Dichtern den Weg zur Vollkommenheit zeigen und sie vor gewissen, in allen Gattungen gleich unausstehlichen, Hauptfehlern warnen wollte: warum er endlich d) sich so lange bei der dramatischen Dichtkunst aufhält: weil sie am unvollkommensten war und am meisten Verbesserung bedurfte. — »

Hactenus de consilio poetæ in scribendo carmine Engelius; quod autem ipsum carmen attinet, facile et simpliciter compositum esse atque ad unitatem egregiam redire statuit. Itaque in tres partes divisit; primum (v. 1—88) esse prooemium, quod ad omnia poesis genera, deinde (v. 89—294) tractationem, quæ ad fabulam Romanam, imprimis tragœdiam, spectet; tertio denique loco diligentiam in scribendo commendari, qua adhibita ad summum perfectionis gradum viam muniri.

Jam in recensendis his judiciis ante omnia non diffitendum est, multum boni verique illis inesse. Et quod primum *Hurdium* attinet, recte ille vidit, in magna epistolæ nostræ parte Horatium in fabula Romana atque in poetis scenicis exagitandis versatum esse, qua quidem re diligenter ab illo errore cavit,

in quem ceteri inciderunt, ne tanquam tignos in asseres in nostrum carmen artificiosum illud artis poeticæ σύστημα intulerit. Nihilominus tamen, quod ille dixit, nequaquam ad omnes carminis partes pariter referri potest, quare magnam vim procemio imprimis atque conclusioni, ubi nihil legitur, quod ad fabulam Romanam pertineat, inferre coactus est. Denique si ex sententia Hurdii fabulam Romanam poetasque scenicos Horatium perstringere voluisse ponis, haud facile intelligis, cur hac de re non copiosius largiusque locutus sit, et quorsum spectet tam longa et alte repetita oratio non solum ad fabulam, verum etiam ad cetera poesis genera pertinens. Rectius igitur veriusque *Sanadonius*, magna poetarum malorum indignatione animo concepta, studiis Pisonum, quæ tum ii colebant, permotum Horatium hanc epistolam dedisse scripsit. Ceterum hoc quoque vir doctissimus rectissime monuit, commentationem artis poeticæ perfectam jam hanc ob causam scribere noluisse, quia epistolam ad amicos dederit, in qua omnia libere ac solute fluere debeant. Non possum igitur non judicare, Sanadonium jam rectum odoratum esse, arctius vero, quam accuratius definiisse. Quod denique *Engelium* attinet, cujus judicium ex Hurdii et Sanadonii dictis confectum est, idem de hoc valet, quod jam Hurdio vitio vertimus. Nam hoc minime probabile est, quod et *Baxterus* dixit, Horatio percensendæ depravatæ fabulæ, in qua minus excellebant Romani, præterea corrigendæ atque emendandæ primarium consilium fuisse. Nam Romani, quod satis notum est, neque in tragœdia, neque in comœdia ita excelluerunt, ut in ceteris poesis generibus, mul-

toque inferiores fuerunt Græcis, quos imitati sunt. Cujus quidem rei causa in populi Romani ingenio erat, qui bellum agitare, hostem ferire, rem publicam capessere, armorum gloria omnes superare pulchrum atque decorum habebat, sed his rebus obdurescens illam humanitatem atque mansuetudinem, quæ Græcis propria est, abnuebat, ita ut per longum tempus omnium fere artium litterarumque esset expers. Accedit quod actores scenici, quippe servi aut homines libertini, jure civili privati ac prope contemti vitam agebant, mox autem, postquam ambitio, avaritia, cupido omnes bonas artes subvortit atque res publica ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma est facta, populo non tragœdiæ et comœdiæ, sed ingens spectaculi apparatus, venationes, ludi gladiatorii, pantomimi in deliciis erant. Facile est igitur ad intelligendum, cur fabula apud Romanos minus floruerit. Quanquam vehementer errant, qui Romanos ab omni ludorum scenicorum cultu destitutos credunt; nam et satura erat et versus Fescennini et Atellanæ fabellæ et, cum litteras Græcas cognovissent, cum togatarum, tum palliatarum fabularum haud exiguum numerum invenimus. Sed hæ proceribus tantum, qui litteras Græcas didicerant, minime autem populo placebant, qui illas Atellanas ceteris omnibus anteferebat. Quod vir in omni re versutissimus haud dubie perspiciens id agere non potuit, ut populares, quo modo fabula parum adhuc exculta felicius instituenda esset, doceret; ut nil de toto ejus ingenio dicamus, quod a genere scenico excolendo semper abhorruit. Quamvis enim antiquas illas fabellas, postea sane a volgo nimis celebratas, non uno loco irriserit, perbene tamen

intellexit, quod moribus sui temporis aptum erat scenæque Latinæ conveniebat. Ceterum Engelius etiam hac in re fallitur, quod Horatium nomine Pisonis omnibus poetis viam ostendere voluisse censet, qua ad absolutionem perfectionemque in carminibus faciendis atque ad celebritatis famam pervenirent.[1]) Contra ea Horatius non modo tale quid non egit, verum etiam Pisones, certe majorem natu filium, impensiorem fortasse ad poemata componenda, gravissimis verbis, ne temere id faceret, dehortatus est. Idem denique Engelius multique alii etiam in hoc vehementer errarunt, quod Horatium in nostra epistola bilem, quam toties ei commoverunt poetæ æquales, in hos effundendi non occasionem arripuisse, sed primario loco sibi proposuisse putant. Sed quo modo quis Horatium, cum hanc epistolam scripsit jam ea ætate, qua tædio eorum captus, quibus olim delectatus erat, melius dormire, quam versus scribere festive dixit,[2]) in exagitandis illis pecoribus inaniter tempus consumpsisse credat, quæ juvenis longe superans toties Bioneis sermonibus et sale nigro acerbissime contrivit atque profligavit? Verum enimvero id certe ita se habet, occasione data poetam, qui semper locutus est, ut natura venustissima atque salsissima tulit,[3]) in fæcem plebeculæ illius poeticæ, quæ, sicut ærugo æs Corinthium inficit, ita sanum recti sensum ingeniaque juvenum quasi veneno imbuit, hinc inde festive invectum esse, quamvis id non potissimum propositum

---

1) Unus tantum locus est, qui tale quid dicere videtur, v. 406 sqq.; sed non ita urgendus est, ut hoc ex eo colligatur.

2) ep. 1. 1. 10; 2. 2. 54 sq.

3) sat. 2. 1. 1. *sunt quibus in satira videor nimis acer.*

habuerit, ut illos quovis loco acutis stimulis perfricaret. Frustra enim hoc consilium fuisse facile intelligis, nam examen illud insanabile. Nihil igitur nisi maximam molem pugnamque inutilem suscepisset,

Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.[1]

B. Sed ut ad alterum genus transeamus, eorum scilicet, qui Horatium id spectasse existimant, ut Pisonum et maxime quidem filii natu majoris animum ab illo morbo versuum faciendorum, in quem totum sæculum implicitum erat, enarratis iis, quæ ad poetam bonum remque poeticam opus sunt, sanaret, facile princeps est *Wielandius*, qui primus hanc ὑπόθεσιν exposuit atque argumentis firmavit. Quod quidem judicium non solum novitate, utpote quæ sæpissime in errorem inducit, sed ipsius carminis ratione ita commendabile visum est, ut tunc in tota fere Germania omnibus viris doctis approbaretur[2]) et ad nostram usque ætatem valeret, qua exstiterunt quidam, nescio quo jure, qui illud ex meris commentis confectum atque infirmissimum esse dixerunt. Neque vero Wielandius mihi ita deridendus videtur, neque regio spiritu tanquam homuncio parum litteratus despiciendus, id quod quidam fecere, qui sibi soli sapere videntur, præposteri homines; sed quod scientia linguarum atque subtilitate fortasse minus valet, id sæpenumero admirabili quodam atque eleganti recti sensu satis compensatur. Quare ejus de nostro carmine judicium, licet multa insint, quæ

---

1) ep. 1. 19. 49.
2) Bähr röm. Littgesch. §. 107.

vera non sunt, tersum tamen et dignum videtur, quod hoc loco laudetur.[1])

«Wir haben bei allen Horazischen Briefen vorausgesetzt, dafs keiner derselben eigentlich fürs Publikum, sondern allemal aus einer besondern Veranlassung, für eine gewisse Person, auf welche, oder deren Verhältnifs mit mit dem Dichter der ganze Inhalt des Briefes seine besondere Beziehung gehabt, geschrieben worden sei. — Ich sehe nicht, warum das nämliche nicht auch bei dem Briefe an die Pisonen Statt finden sollte. Ich bin vielmehr überzeugt, dafs der Schlüfsel zum wahren Verständnifs desselben *in der besondern Absicht*, warum er gerade *an die Pisonen* geschrieben worden, liege; und dafs diese Absicht aus gewissen Partikularitäten zu errathen sei, die in dem Briefe hinlänglich angedeutet sind, wiewohl sie von den Commentatoren keiner Aufmerksamkeit gewürdiget worden.»

Deinde cum exposuisset, epistolam ad Lucium Calpurnium Pisonem ejusque filios circa annum 739 [2]) u. c. scriptam esse (quæ tamen res, ut infra dicam, maxime est dubia), ita pergit:[3])

«Diefs vorausgesetzt stelle ich mir die Veranlassung zu dieser Epistel so vor. Der junge Piso zeigte im Lauf seiner Schulstudien eine besondere Liebe zur Poesie, und einen so starken Hang zum Versemachen, dafs der Vater endlich unruhig darüber wurde. Man kann von einem unsäglichen *Pruritus* für die Musenkunst geplagt werden, ohne mit einem wirklichen Talent geboren zu sein. Diefs ist sehr oft der

---

1) Horazens Briefe aus dem Lateinischen übersetzt und mit historischen Einleitungen und andern nöthigen Erläuterungen versehen von C. M. Wieland. Lpz. 1790. II, pag. 186.

2) Sanadonius a. 730, Eichstadius a. 730 vel 731, Holzapfelius certe ante a. 739, Haberfeldtius autem post a. 738, et Mittermayerus a. 742 epistolam scriptam putant.

3) pag. 190 ff.

Fall bei jungen Leuten, und wars vielleicht bei dem kleinen Piso auch. Der junge Herr tractierte die Sache nicht etwa bloſs als ein Knabenspiel, oder um die Mode mitzumachen; er machte Ernst daraus. Der Vater, ein Mann aus einem der ersten Häuser in Rom, der unter der neuen Regierung soviel immer möglich von seinem angeerbten Glanz behalten wollte, und dem es nicht anstund, seinen Sohn *dem Ridicüle* einer zu seiner Geburt und Bestimmung so wenig passenden Leidenschaft ausgesetzt zu sehen, fand, daſs es nöthig sei, ihn mit guter Art davon zurückzuziehen. Die Calpurnische Familie hatte vermuthlich seit ihrem ersten Anherrn Calpus, dem Sohn des Numa, keinen Poeten, weder guten noch schlechten, hervorgebracht: sollte sein Sohn der erste sein, der seine Reputation auf eine Kunst gründen wollte, worin es so schwer ist den Besten gleich zu kommen, und worin die Prätension ohne Talent eben so gemein als verächtlich ist? Nichts von dem schlimmen Eindruck zu sagen, den das erste schlechte Theaterstück, womit ein junger Calpurnius seinen Eintritt in die Welt gemacht hätte, im Publiko zurücklassen konnte: wie nachtheilig konnte eine so frivole und lächerliche Passion seinem Glücke beim Augustus sein, der aus dem jungen römischen Adel keine Dichter, sondern aufwartsame Höflinge und brauchbare Diener des Staats gezogen wissen wollte? Piso liebte zwar die Literatur; und, wenn er sie auch nicht aus Neigung geliebt hätte, so hätte er sich hierin dem allgemeinen Ton seiner Zeit conformieren müssen: aber er wollte darum eben so wenig, daſs sein Sohn Profession davon machen sollte, als daſs er ein Luftspringer würde, weil es ein Stück der Erziehung war, voltigieren zu können; und gerade weil er sich selbst, Spielsweise, zuweilen mit Versemachen abgegeben hatte, war ihm soviel mehr daran gelegen, die Reputation der Poeterei in seinem Hause nicht erblich werden zu lassen.

Ich glaube, daſs man diese Vorstellungsart bei einem Manne in L. Pisons Umständen ganz natürlich annehmen kann; und wenn die Gefahr, die sein Sohn, bei der Begierde poetische Kränze zu erringen, lief, nicht so wichtig in seinen Augen gewesen wäre: so war sie es doch immer genug, um

seinen Freund Horaz zu vermögen, dem jungen Menschen richtigere Begriffe von der Dichtkunst und ihren Schwierigkeiten und Gefahren beizubringen. Piso stand (wie leicht zu errachten) mit unserm Dichter auf einem zu guten Fuſs, als daſs ihm dieser eine Gefälligkeit, die ihm so wenig kostete, hätte abschlagen können. Ein Aufsatz, worin die vornehmsten Regeln und gleichsam die Mysterien der poetischen Kunst enfaltet wären, schien das schicklichste Mittel, die erzielte Absicht auf eine indirecte Art desto gewisser zu erhalten. Vielleicht hatte der junge Calpurnius Horazen selbst um eine solche Anweisung ersucht; und so konnte dieser, unter dem Schein als ob er ihn zum Dichter bilden wolle, den ganzen Discurs darauf anlegen, ihn (ohne Mine zu machen, als ob dieſs seine wahre Absicht sei) davon abzuschrecken. Die Horazische Manier in seinen Sermonen und Episteln zu philosophiren taugte hierzu ganz besonders. Die Freiheit, ohne Methode sich bloſs von seinen Gedanken führen zu lassen, die dieser Art von Composition eigen ist, erlaubte ihm alle die kleinen Episoden und Digressionen, auf die ihn seine eigne Laune bringen mochte; seine Hauptabsicht fiel desto weniger in die Augen, und er konnte seinen Discurs auch für andre Leser als für die, an die er unmittelbar gerichtet war, interessant machen. Hauptsächlich aber gewann er dadurch eine neue, (wie es scheint) immer willkommne Gelegenheit, den Dichterlingen, von denen es um ihn her wimmelte, ihre Wahrheiten zu sagen, und sie, mit aller kaltblütigen lachenden Verachtung, deren sie so würdig waren, fühlen zu lassen, daſs sie von der Kunst, die sie sich zu treiben unterstunden, nicht einmal die ersten Elemente begriffen hätten."

Hoc igitur notissimum illud judicium, ex quo apparet, cur Horatius in præceptis non copiosior, in ordine non diligentior, in enumerandis difficultatibus artis poeticæ longus, brevis in exponendis ejus mysteriis, cur denique in vellicandis malis poetis salsus fuerit. De carmine, qua ratione ab eo accuratius desriptum sit,

plura addere possem, ni ea res longius nos ab incepto traheret; nam de re tritissima metuo, ne forsitan jam non necessaria dixerim.

Quod vero originem attinet, jam percrebuit opinio atque inveteravit, Wielandium hoc judicium ab Anglo quodam petiisse, *G. Colmano*,[1]) qui idem fere dixit, quod Wielandius, iisdemque argumentis usus est, hac una re excepta, quod Pisonem natu majorem jam tragœdiam scripsisse dixerit, qua lecta Horatius eum et ab illa evolganda et in universum a versibus faciendis dehortatus sit. Sed ex illo, quod *Haberfeldtius* hac de re adnotavit,[2]) maxime fit probabile, Colmanum, virum linguæ Theotiscæ haud ignarum, hoc judicium a Wielandio petiisse, cujus editio prima jam undecim annis ante in publicum edita erat.[3]) Utcumque res se habet, hoc certum est, hos duos viros auctores atque conditores illius judicii esse.

Restat denique, ut ceteros omittam, qui Wielandium secuti sunt, in quibus *Wetzelius* non prætermittendus est,[4]) ut *Josephus Mittermayeri*, professoris Schafnaburgensis, acre subtileque judicium percenseam, quod sub finem commentationis,

---

1) Q. Horatii Flacci epistola ad Pisones de arte poetica. The art of Poetry, an Epistle to the Pisos, translated from Horace, with notes by G. Colman. Lond. 1783. 4°.

2) Vorlesungen über die klassischen Dichter der Römer von Nitsch, fortgesetzt von Joh. Fr. Haberfeldt. Lpz. 1802. 8°. IV. pg. 240.

3) a. 1772.

4) Hor. opp. ad Bentl. exempl. etc ed. J. Chr. F. Wetzel, Lignitz. 1799. 8°. Etiam *Baxterus* haud procul ab hoc judicio aberat, quippe qui ad v. 366 adnotaverit: «an hunc (majorem juvenum) credidit latere vitia sua?»

quam hac de re composuit,[1]) hisce paucis verbis indicavit: «*Horaz will dem ältern von Pisos Söhnen dadurch, dass er ihn über die Anforderungen an ein dramatisches Gedicht und an einen dramatischen Dichter belehrt, zeigen, wie viel ihm für jetzt noch zur Bearbeitung einer Tragödie fehle, und welche Mittel er anzuwenden habe, um in der Folge einmal zu diesem erhabenen Ziele zu gelangen.*»

Ceterum vir doctissimus finem carminis compositionemque ex loco v. 304—308 constituit. Quamvis enim Horatius lyrica carmina scripserit, hoc verum esse, se nihil scribere, nam ad scribendas fabulas pertinere. Horatium igitur, non scenicum poetam, docere tamen velle, quo modo fabulæ recte scribantur. In duas ideo partes Mittermayerus carmen divisit, in prima (*dem objektiven* — munus et officium) de iis agi, quæ cum de carmine (1—85), tum de fabula (86—308) postulentur; in altera (*dem subjektiven*), quæ cum de poeta, tum de poeta scenico. In hac autem disquiri primum, unde parentur opes, deinde quid alat formetque poetam, tum quid deceat, quid non, denique quo virtus, quo ferat error. Quam divisionem argumentis ex ipso carmine petitis confirmare conatus est, quæ enumerare possem, nisi ad examinanda hæc judicia accedere res admoneret.

Primum igitur, quod *Wielandium* attinet, mox contra eum exstiterunt viri docti, in quibus *Vetter-*

---

[1]) Über den Brief des Horatius an die Pisonen zum Schlusse des Studienjahrs 1826 — 1827 von Jos. Mittermayer, Studienrektor und Prof. am Kön. Gymnasium in Aschaffenburg.

leinius[1]) potissimum laudandus est, qui, quod ille dixerat, infirmare ac diluere conati sunt. Negarunt enim, probabile esse, Horatium minime promptum ad scribendum, ad adolescentulum quindecim fere annorum epistolam tam longam atque gravem scripsisse; deinde, cum epistola non solum magna cum urbanitate, sed etiam mira cum subtilitate perscripta sit, fieri potuisse, ut ab isto puero non satis intellecta sit; denique Horatium in hoc carmine longe alia egisse, quam ex ipsius Wielandii sententia, si id consilium ei fuisset, agere potuisset. Cur enim tam multa separatim præciperentur, si id solum spectasset, ut doceret, quam esset difficile ad summam perfectionem poetæ pervenire? Cur, si Piso non poeta natus erat, de ingenio poetæ necessario non fusius disputatum esset? His enim verbis juvenem non deterreri, sed potius admoneri.[2]) Quibus de rebus, quod equidem sentio, paucis aperiam. In universum mihi Wielandius hoc recte vidisse videtur, Horatio id consilium fuisse, quamvis non unicum, ut Pisonis filium natu majorem, morbo temporis ægrotantem, a versibus faciendis avocare voluerit. Quod consilium numne tam insolitum est? Quid? Illudne a ratione Horatiana abhorret? Immo vero Trebatium similiter inducit se ipsum admonentem,[3]) ne mala carmina componendo molestias odiosas capiat. Sed idem ex plurimis insuper ipsius epistolæ locis satis clare pellucet. Cum enim jam antea sæpius Pisones, certe litterarum atque poesis

---

[1]) C. J. R. Vetterlein, Rektor der Stadtschule zu Köthen: adnotationes plerumque criticæ in singula auctorum veterum loca. Köthen. 1795. Sylloge I. II.

[2]) Haberfeldt. pag. 242. [3]) sat. 2. 1.

amantissimos, allocutus esset,[1] quis non Horatium illum juvenem his verbis dehortari sentiet, quæ maxima cum gravitate et cum dolore quodam, quo toties ingeniis in malum inductis affectus erat, dicta sunt?[2]

O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi .....
Mediocribus esse poetis
Non homines, non Di, non concessere columnæ.

Nonne his verbis eum dehortatur a versibus faciendis, quibus tanquam campestribus armis ludere nesciat? [3]

Tu nihil invita *dices faciesve* Minerva

Quid? Quis ad eum, qui non aliquid scripturus erat, scribet[4]

si quid tamen olim
Scripseris, in Mæcii descendat judicis aures
Et patris et nostras

Denique, num dubium esse potest, quin carminibus componendis operam dederit? [5]

Nolito ad *versus tibi factos* ducere plenum
Lætitiæ;
si *carmina condes*
Nunquam te fallant animi sub volpe latentes.

Hoc igitur certissimum est; sed præpropere agit Mittermayerus, si inde Pisonem, quippe bonæ spei adolescentem, doceri colligit, quo modo perfectus poeta evadat. Nusquam enim Horatius dixit, Pisonem

---

1) cf. v. 5. 24. 152. 235. 269. 272. 292. 2) v. 366. 3) v. 385.
4) v. 386. 5) v. 427. 436.

magnam spem præbuisse, quare rectius Wielandius dehortandi causa id scriptum esse statuit. Sed in eo mihi Wielandius falsus esse videtur, quod suæ ὑποθέσει nimium tribuens argumentum ei ita accommodavit, ut non sine vi versatus complura contorte explicuerit.[1]) Plurima enim sunt sane aliam ob causam dicta, quam ut dissuasioni inserviant. Sed ne hoc quidem recte vidit, quod nimia negligentia, profecto non urbana, carmen scriptum putat, id quod ex argumento, quale ab eo tanquam in xysto ambulante constitutum est, patet. Ceterum cum sæpius conjecturæ frenos daret, multa etiam infirma protulit, velut id, quod de Pisone dixit, ipsum fortasse ab Horatio compendium artis poeticæ petivisse, cujus præterea de ætate nimis tenera, temporis rationem, qua epistola scripta est, haud perspiciens, falsam cogitationem sibi informavit. Contra ea, quæ supra a quibusdam ejus adversariis prolata esse dixi, admodum levia sunt. Primum enim Horatius hanc epistolam non solum ad filium natu majorem, sed ad patrem et utrumque filium scripsit; ceterum (de qua re infra dicam) Piso filius major facile tum erat viginti annorum, ea igitur ætate, qua hanc epistolam bene mente percipere poterat. Deinde de ingenio et arte satis, credo, disputavit,[2]) præsertim cum hæc res ejusmodi esset, ut, nisi Pisonibus offensis, digito demonstrari non potuisset; denique, quod jam supra dixi, non modo suasor et impulsor scribendi, sed ne approbator quidem fuit.

[1]) pag. 211. Anm. »Ich habe den Horaz hier, um des Zusammenhangs willen, ein Paar Worte mehr sagen lassen, als er ausdrücklich sagt; aber um in das Ganze Zusammenhang zu bringen, müfste man ein neues Werk daraus machen.« (!)

[2]) cf. v. 295 sqq. 408 sqq.

Quod *Mittermayerum* attinet, ejus judicium idem fere est, quod Wielandii, exceptis his, quod non solum versus facere, sed *fabulam* componere Pisonis filium majorem animo agitasse opinatus est, id quod jure dixisse videtur. Cum enim in maxima carminis parte de sola fere poesi dramatica disputaverit, quid veri similius, quam eum, quem a carminibus componendis dehortatur, fabulæ potissimum componendæ operam dedisse? Quod periculum aut dedecus majus, quam non modo sibilis, sed etiam convicio e scena explodi? [1]) Sed hac in re ab eo differt, quod argumentum accuratius, sed, ut mihi quidem videtur, subtilius, quam ex lege epistolæ carminisque fieri potest, constituit. Primum enim mihi non probabile est, ex illo loco v. 304—308 recte colligi, quæ sit totius carminis divisio, quippe iste locus et medio fere carmine inclusus et alio sententiarum nexu dictus est. Nemo enim, si de aliqua re disputare vult, id media in disputatione, sed initio indicat. At, dixerunt, hoc ex more Horatii, qui callide id instituerit, factum esse; sed, si ad hoc pertineret, male locata esset calliditas, cui nunquam modum excedere licet. Quæ divisio, quam subtilis et minime vera sit, etiam ex eo patet, quod poetam et præcepta addentem facit (v. 179—192), supervacanea sane, et digressiones a proposita oratione (v. 220—274). Quod vero totum est vitiosum, id est secunda, quam constituit pars, in qua ei aqua ita hæret, ut, obtrusa explicatione eorum, unde parentur opes, quid alat formetque

---

[1]) Pis. v. 112 sq. Si dicentis erunt fortunis absona dicta, Romani tollent equites peditesque cachinnum.

poetam, quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error, nullo acumine assequi potuerit, ut his de rebus, quas unusquisque expectaverit, aliquid in carmine scriptum sit. Itaque parum abfuit, quin nos ad illos homines scrupulosos reduceret, qui artificiosissimum artis poeticæ *σύστημα* ex nostro carmine effecerunt. Tamen non negaverim, Mittermayerum etiam multa præclare exposuisse; imprimis peculiare Horatii de majore Pisonum consilium contra eos recte defendit, qui epistolam castigationem dumtaxat poetarum malorum esse dixerunt.

Non parum denique firmamenti ac roboris huic *ὑποθέσει* Wielandianæ nuper judicio *Orellii*, v. cl., accessit, quem, disputatione mea jam elaborata, ex animi mei sententia locutum esse maximo cum gaudio cognovi. Qui, epistolam nostram *didacticosatiricam* esse statuens, id genus, quod major Pisonum tentare conatus sit, drama satyricum fuisse, ingeniose conjecit. Ipsum jam audiamus.[1] «*Id igitur teneto, hanc epistolam Pisonibus præter ceteros destinatam atque ab his intra domesticos parietes lectam esse, antequam ederetur. Poeta autem benevolentia in Pisonem majorem, boni haud dubie ingenii adolescentem, sed nimis fortasse cupidum novum aliquod genus tentandi, metuisse videtur, ne si nimio ardore ferretur ad drama satyricum componendum, antequam universam artem poeticam probe perdidicisset, mediocris tantummodo poeta evaderet et a popularibus derideretur. Propterea multus est in significandis præsertim difficultatibus, quæ poetæ necessario sint vincendæ,*

[1]) Q. Hor. Fl. 1838. II. pag. 572.

si omnium plausum ferre velit. Verum enimvero, ne nimis aridum siccumque evaderet hujusce argumenti poema didascalicum, quale quidem apud Græcos, quod sciam, nullum exstabat, exhilarandi erant lectorum animi jocis interdum satis acerbis in poetarum vitia, in prava grammaticorum judicia, in perversam Romanorum educationem; nec vero oblitus est se suique similes poetas defendere adversus antiquarios, atque omnino persæpe ridendo dicere verum.»

Sed de his satis dictum puto, quoniam, si fusius dicerem, jam meum judicium exponendum esset, quod infra explanavi; nunc ad tertium genus transeo.

C. Tertio hoc loco ii restant examinandi, qui Horatii id potissimum consilium fuisse censent, ut, inelegantia atque perversitate poetarum æqualium vituperanda, nimium sui sæculi versuum faciendorum studium cohiberet atque compesceret, quod judicium et a plerisque viris doctis, inter quos *Robortellium*,[1]) *Rappoltium, Vetterleinium, Haberfeldtium, Schelleum, Dœringium, Hochederum, Dohrnium, Machacekium* laudo, hodie acceptum, et maxime pervolgatum est. Itaque jam *Rappoltius*, professor Lipsiensis,[2]) in hunc modum scripsit: «*Libellum ipsum aggressuri, elencticum eum magis, quam didacticum esse præmonemus. Neque enim cum ad Pisones scriberet, Ho-*

---

[1]) Franc. Robortellius, Utinensis, natus a. 1516 in florentissimis Italiæ gymnasiis, Pisæ, Venetiæ, Bononiæ, Patavii, magna cum famæ celebritate triginta annos publice docuit. Obiit a. 1567. Ejus nostro de carmine judicium legitur in libro, qui ita inscriptus est: «in librum Aristotelis de arte poetica explicationes, cum paraphrasi in librum Horatii de arte poetica.»

[2]) n. a. 1615, m. a. 1676. «Commentarius in Horatii satyras et epistolas» pag. 952.

ratium in animo habuisse artem ullam aut methodum, credibile est. Qui namque de arte tam confuse scriberet homo artis callentissimus? Quin ita potius cum Robortellio statuemus: cum Romæ sua ætate videret Horatius esse multos, qui poetæ nomen falso sibi vindicabant, diesque totos in carminibus scribendis consumebant, et ignorabant tamen, quanto in pangendis versibus opus esset artificio, diutius illorum inscientiam et insolentiam æquo animo ferre non potuit, et sermone hoc satis longo cum Pisonibus habito, reprehendere eos instituit, singillatimque omnes illorum errores demonstrare; quibus patefactis dat operam, ut eos ad meliorem frugem reducat, præscribens rectam rationem poematis, in eo præsertim, in quo labi eos animadverterat.» Præterea *Haberfeldtius*, qui alioqui hac de re optime disputavit, quod Wielandius finem epistolæ esse dixit, id ansam modo præbuisse adnotavit; Horatio enim id consilium fuisse, quod jam ab Engelio adumbratum sit; sed utrumque in hoc errasse, quod ille peculiari cuidam rei nimium tribuerit, hic autem ὑποθέσει. Itaque his verbis, quid Horatius sibi proposuerit, exposuit: [1]) *«Mit einem Worte: wir finden in diesem Gedichte nichts, als eine didaktisch - satyrische Züchtigung der damaligen Dichterlinge zu Rom, veranlasst und näher bestimmt durch ein vorhergegangenes Gespräch oder andere Familienverhältnisse mit den Pisonen.»* Quod consilium ex totius carminis ratione pellucere statuit. [2]) *«Dieser Zweck des Dichters, diese Rücksicht auf den damaligen Zustand und die damaligen Verhältnisse*

---

[1]) pag. 243. [2]) pag. 245.

der poetischen Litteratur in Rom, diese feine Persiflage seiner unwürdigen Zunftgenossen leuchtet aus dem ganzen Briefe vom Anfange bis ans Ende zu deutlich hervor, als dass man sie verkennen dürfte.»

Similiter etiam *Hochederus* judicavit, carmen nostrum esse poema *satyrico-didacticum*: «*Wenn Horaz einen Zweck bei Abfassung dieses Gedichts hatte, so war es wohl kein anderer, als der, den Kunstdünkel jener Zeit in seiner Blösse hinzustellen und mit der ganzen Lauge* (sic!) *seiner satyrischen Laune zu bedecken.*» [1]) Post hunc *Dohrnius*, [2]) qui contra Wielandium, sed admodum leviter, disputavit, [3]) idem judicium fecit: «*Der Brief sei eine Züchtigung der Dichterlinge in Rom, deren Thorheit und Geschmacklosigkeit der öffentlichen Rüge werth war. Diese Ergiessung seines Herzens, erzeugt durch den Unwillen, womit er lange das heillose Bestreben seiner sogenannten Collegen angesehen hatte, theilt Horaz der mit ihm in freundschaftlichem Verhältniss lebenden Familie der Pisonen mit. Mochte immerhin der ältere Piso für sich das Seinige und für ihn Passende aus dem Briefe herausnehmen; er allein scheint nicht der Hauptzweck des Gedichtes zu sein.*» [4])

---

[1]) Des Q. Hor. Fl. Buch über die Dichtkunst oder Brief an die Pisonen von Fr. Paula von Hocheder. Passau 1824. Einl. pg. 15.

[2]) Einige Bemerkungen über den Brief des Hor. an die Pisonen. Itzehœ 1824.

[3]) cf. *Obbarius* Recension von Mittermayers und Dohrns Programm in Seebodes krit. Biblioth. 1829. N°. 150. pg. 598.

[4]) Contra hæc bene Obbarius: «Wie, wenn man dieses Verhältniss gerade umkehrte, würde ein solches Verfahren nicht vielmehr dem sonstigen Charakter der Horazischen Briefe entsprechen?»

In eodem hoc numero est *Schelleus*, qui se primum nomen poematis *satirico-didactici* invenisse gloriatur, [1]) et *Machacekius*, qui in multis prudenter ac sincere judicans carmen nostrum *critico-satyricum* appellavit, et non optime latine, sed tamen libere ita scripsit:[2]) «*Num Horatius autem librum de arte poetica Pisonibus, eum carmen poscentibus, dedicatum, coram iis et nonnullis rei litterariæ amicis, sicuti tunc temporis Romanorum moris erat, prælegerit aut eundem ipsis miserit, non est tanti, ut de hac re litigemus. Si tamen carmen hoc certo poematum didacticornm generi adnumerandum esset, non possumus, quin ipsum critico-satyricum cognominemus; poeta enim ratione temporum ductus, quum indocti doctique poemata passim scriberent, ostendit, quantum ad poema rite condendum requiratur, et in omnes, qui absque illustri ingenio artisve sapientia et diligentia indefessa in carmina pruriunt, invehitur.*»

Denique *Dœringio* quoque in his locus est, qui, quod fieri solet, et ex his et ex Wielandii Mittermayerique judiciis suum, quod intelligens atque circumspectum est, confecisse videtur, quod ex ipsius adeo verbis cognoscamus. [3]) «*Cum magna tum temporis*, inquit, *malorum poetarum turba vesparum more circumvolitare et oblatos sibi quosque venenato aculeo lædere vel quovis alio modo Musarum honorem contaminare cœpisset, Horatius non tam eorum ictus, quibus jam sæpius petitus fuerat, curans, quam timens*

---

[1]) ed. Lips. 1806.

[2]) Q. Hor. Fl. de arte poet. liber ed. S. C. Machacek, cæs. reg human. prof. in gymnas. Gicinensi. Pragæ 1833. præf. pg. 11

[3]) ed. Lips. 1824. pg. 11.

potius, ne pravo istorum exemplo alii quoque depravarentur, tam virtutes ad poeseos studium afferendas describere easque illis, qui poetæ nomine se dignos præstare cuperent, propinare, quam vitia et errores poetis fugiendos ante oculos ponere voluit. Noluit autem præcepta, quæ de poeseos et de omnis doctrinæ studio daturus erat, ad certum ordinem redacta, accuratius, subtilius et doctius exponere, vel libellum artis poeticæ titulo insignitum scribere, sed quæ sibi de virtutibus et vitiis poeseos succurrerent, sine arte, h. e. haud ad certam normam exacta, in epistola cum amico quodam communicare. — Fortasse autem Horatius his præceptis præcipue filio Pisonis natu majori, ne is vano malorum poetarum strepitu in fraudem se induci pateretur, cautum ivit. — Recte igitur, puto, dici potest hæc epistola didactico-satirica.»

Quæ præterea vulgo collaudantur judicia *Holzapfelii* aliorumque, qui Horatium antea cum Pisonibus iisdem de rebus, ad quas scribendas postea animum appulerit, colloquia seruisse censent, mera commenta, commemoratione vix digna atque ejusmodi sunt, ut nihil contra ea dicere operæ sit; nam est ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil dicere, quærere, quæ habere non possumus. Idem valet de Batavi cujusdam, *Hieron. de Boschii*, sententia,[1]) qui in conjiciendi licentia atque temeritate, quæ ejus popularibus propria est, eo processit audaciæ, ut Horatium non ad Pisones hanc epistolam scripsisse diceret, cum Pisones nunquam ad versus faciendos

[1]) Observatt. in Antholog. Græc. Ultraject. 1810. pag. 139.—154. cf. Eichstädt censura noviss. obs. in Hor. ep. ad Pis. Jen. 1811.

delati sint, sed Horatium ex προσωποποιΐᾳ rhetorica hoc nomine usum esse, quia Pisones nobilissimæ gentis fuerint;[1]) quare inscriptionem non genuinam esse. Quæ si respicienda essent, notanda esset etiam *Harduini* temeritas, qui ad v. 373 carminis nostri adnotavit, Parisiis fortasse scriptum esse poema, ubi in Aula Palatii, quæ dicatur, columnæ sint, quibus tabernæ sint librariæ applicitæ.[2])

Postremo inter hos V. D. *Guil. Lilieo* locus sit, cui alium non invenio, qui singularem de artis poeticæ sorte et origine hanc cogitationem nuperrime sibi informavit.[2]) «*Horatius*, scribit, *cum per vitam poesin*

---

1) Juvabit *Mansonis*, viri intelligentissimi, verba, quæ maxime huc pertinent, hic collaudasse. cf. Manso: über das Wesen der Horazischen Epistel in den Nachträgen zu Sulzers allg. Theorie der schönen Künste. Lpz. 1800. Bd. 6. pag. 405: «Die Form der poetischen Epistel ergibt sich schon aus dem Namen. Sie ist an eine *bestimmte* Person gerichtet, und *führt nicht bloss*, wie andere dichterische Compositionen z. B. die Elegie, die Idylle u. s. w. *den Namen dieser Person an der Stirn*, sondern ist wirklich zur Unterhaltung mit ihr bestimmt. Diejenige Epistel wird also ihrem Endzweck am vollkommensten entsprechen, bei welcher diese Form am sichtbarsten wird: wo der Dichter nicht bloss zur Erinnerung, dass er an einen Freund schreibt, diesen von Zeit zu Zeit anredet, sondern auch die ganze Unterhaltung aus den Situationen herleitet, in denen dieser sich befindet.» — Quod autem Manso de nostra epistola judicium habuerit, ex his fortasse verbis colligendum est: «Dass übrigens die poet. Epistel auch *wissenschaftliche* Gegenstände nicht ausschliesse, und wie der Dichter durch Individualisirung in das Allgemeine mehr Interesse bringen könne, zeigt der Brief an die Pisonen. — Immer weiss Horaz seine Freunde mit dem zu unterhalten, was ihnen *am interessantesten* ist. So unterhält er *die Pisonen, welche sich den damaligen belletristischen Modegeschmack angeeignet hatten, mit der Dichtkunst.*» (pag. 401 sq.)

2) Joan. Harduini opp. varia. Amst. 1733. pag. 361.

3) De Horatiana ad Pisones epistola. Scripsit Dr. *Guil. Lilie.* Uratislav. 1838. 8°. pag. 94.

diligenter curaret singulaque ad eam pertinentia poematis suis inseruisset, de eodem argumento multa prius fortasse, quam ad Pisones scribendi consilium caperet, in tabula peculiari conscripserat. Deinde cum paucis ante mortem annis causa incerta ductus ad Pisones, nescio an ingratis precibus coactus scriberet, ea quæ cordi sibi jamdudum erant, communicaturus omnia omnino, quæ de poesi mente recondita habebat, prompsit promptaque epistolam leviter adumbrans perscripsit, ita, ut nunc epistolæ formam servaret, nunc soli rei scribendæ intentus negligeret, nunc de universa poesi, nunc de dramate ageret, et iterata cura epistolam postea perpoliturus utramque rem non satis ubique discerneret. Unde factum esse videtur, ut sententiarum non ubique juxta continuatio et series sit, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptæ colligatæque esse non videantur, quamquam ad poesin cunctæ pertinent. Ex hac igitur epistolæ umbra, cur ad Pisones scripta sit, parum intelligitur, neque eorum, quos historia novit, qui fuerint. Attamen cum L. Calpurnium Pisonem, qui cum M. Livio Druso a. u. c. 739 consul fuerat, si non ipsum poetam, certe poetarum antistitem fuisse, veterum testimoniis satis comprobetur, poetam ad hunc ejusque filios scribere voluisse arbitror, nisi quis forte firmioribus usus argumentis aliud suadebit. — Horatium consuetudine Pisonum conjunctum multa de poesi sæpius cum eo vel præsentibus, vel nonnunquam sermonum participibus filiis collocutum esse, veri simile est. Qui sermones passim fortasse respiciuntur ab Horatio: quin consilium quoddam singulare de Pisonum majore ei fuisse facile largiar. Quale fuerit, propter rei obscuritatem quærere displicet,

quæ tanta est, ut vix unquam illustrari posse videatur. — Hoc igitur opusculum post Horatii mortem repertum ex argumento titulum petentes artem poeticam inscripserunt. Grammatici, ni fallor, arripuere, in certas partes divisere, diligenter explicuere discipulis.»

Vides, virum doctissimum justo longius conjectura abreptum esse. In rebus natura sua dubiis sane licet opinari, sed testimonia opinioni accedant necesse est, quod si non fit, futilis et ex vano hausta habetur. Hujusmodi sunt illa, Horatium de arte poetica in tabula peculiari conscripsisse, ex ea Pisonum precibus coactum epistolam adumbrasse, sermones passim cum Pisonibus habitos respexisse, opusculum post ejus mortem tandem repertum esse. Ceterum, quod hæc judicia in commune attinet, nemo infitias ibit, plurima in illis præclare dicta esse; nam res habet nullam dubitationem, quin Horatius passim in malos poetas festive invectus sit. Sed in hoc omnes errarunt, quod id tantummodo Horatium spectasse censent, quo modo illos vellicaret. Neque enim recte colligitur, si ex singulis locis, quæ ad satyram propius accedunt, totum nihil nisi castigationem esse conficitur. Qua de re quod *Mittermayerus* atque *Obbarius* [1]) luculentissime disputarunt, paucis repetam, quandoquidem post illos fusius dicere supersedere possum.

---

[1]) Cujus viri, quoniam res admonuit, prudens judicium hoc loco adscribere non abs re videtur: «Rec. kann nicht läugnen, dass er gegen die jetzt herrschenden Grundsätze eines Haberfeldt, Schelle, Hocheder u. a. eine der Wieland-Mittermayer'schen ähnliche Ansicht über die sogenannte ars poetica längst gefasst, nur hie und da von derselben abweichend." (l. c.)

Primum igitur Horatii ingenium ita ferebat, ut usquequaque lepore quodam et sale loqueretur, si quidem ad rem, de qua locuturus erat, conveniebat. Cur autem illud sal, quamvis acre, tamen non nigrum, huic epistolæ, sermoni familiari accommodatæ, non adspergeret, cum Pisones id fortasse vehementer adamarent? Ceterum quam prudenter ea, quæ gravius et acerbius dici potuissent, temperavit et consulto extenuavit! Quam sæpe jocoso usus est sermone ad docendum atque præcipiendum et ridendo dixit verum, ita tamen, ut non in satyram scribendam incideret;

Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur. [1])

Quid? Num malorum poetarum castigandorum causa epistola scripta est? Minime. Nam, quod jam supra dixi,[2]) et magna pars in alia re docenda versatur, et Horatius ætate jam provectus in toties irrisos, de quibus nihil sperandum erat, invehi noluit. Quæ vero passim ad illos pertinent, hanc ab causam dicta sunt, ne Piso ab illis in errorem atque fraudem se induci patiatur. Itaque hæc epistola pro epistola neque pro satyra habenda est, [3]) quæ tamen esset, si castigationem dumtaxat spectasset; nam hac in re epistola maxime a satyra differt, quod illa ad aliquem scripta est, cujus accurata ratio habetur, satyra autem in universum scripta est. Non ignoro equidem, quæ adversarii mihi objicient; negabunt

---

[1]) Ep. 2. 1. 262 sq. [2]) p. 37 sq.

[3]) Frustra contra hoc nomen pugnat Schelleus, hujus sententiæ auctor atque defensor.

enim, et epistolæ sermoni tantum tribuendum, et ipsorum Pisonum accuratiorem rationem haberi; finem igitur hunc esse, ut in universum castigare voluerit. At ubicunque res postulare videtur, Pisonum ratio habetur; nam cum patrem filiosque, tum majorem filiorum sub finem perquam graviter allocutus est.[1] Ceterum, quod ego sciam, contra Horatii morem est, ad quos litteras daret, fictas personas inducere. Denique epistola nostra non est quotidianæ vitæ epistola, sed poetica, quæ dicitur. Cicero enim, Plinius ceterique, qui merito epistolarum scriptores laudantur, sibi tantum et ei, ad quem epistolam dederunt, scripsere, sed epistola poetica ejusmodi est, ut id, quod poeta scripsit, non solum ad eum, ad quem epistola affertur, sed in universum ad omnes, qui eam aliquando legent, pertineat. Sed unde hic error, ex quo illud judicium constat, manaverit, facile est ad intelligendum. Nam cum de Pisonibus, qui fuerint, perpauca modo innotuerint, aliud quoddam consilium Horatio fuisse putabatur, et quod æqualibus minime dubium esse potuit, id posterioris temporis homines ignorantes, poetarum castigandorum causa epistolam scriptam esse rati sunt. Melius igitur de carmine interpretando antiqui scholiastæ meriti fuissent, si nos de Pisonibus, qui fuerint quidque fecerint, certiores fecissent, omissa illa, quam instituerunt, in innumera præcepta ridicula divisione.

---

[1]) cf. v. 5. 24. 152. 235. 269. 272. 292. 366. 385. 427. 456.

Sed cum jam ad hunc locum perventum sit, aptissime hic de illa quæstione, jam ab aliis viris doctis proposita, disceptandum videtur, scilicet numquid *Platonis Phædrus* et *Aristotelis poetica* ad nostrum carmen pertineant, et quam vim in Horatium carmen scripturum exercuerint. Qua quidem in re ingenue equidem confiteor, minime me illis assentiri posse, qui Horatium Platonem vel Aristotelem secutum atque imitatum esse, imo exscripsisse dixerunt. Et, ut jam Aristotelem omittamus, (de quo infra), plane intelligi nequit, qui factum sit, ut Platonis liber, toto cœlo, uti dicunt, ab Horatii carmine discrepans quasi imago ad imitandum proposita ab eo adumbratus esse dici potuerit. Nam etsi Platonis dialogi, quorum videlicet auctor mature quondam ad poesin animum adjecerat, nonnunquam ad dictionem poeticam proxime accedere recte dicuntur, [1]) tota tamen carminis Horatiani facies et ipsa indoles ac natura ita ab instituta comparatione abhorrent, ut vix credibile sit, vanam istam atque inanem opinionem a litteratorum hominum grege tam cupide

---

[1]) Quint. inst. or. 10. 1. 81. «Multum enim supra prosam orationem, et quam pedestrem Græci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus.» cf. Cic. Brut. 31; de legg. 2, 7; de or. 3, 4; or. 20.

arreptam fuisse, nisi a viro clarissimo allata ejusque auctoritate plurimum pollente approbata fuisset. Cum enim primus *Schreiterus*, professor Lipsiensis, [1]) illam comparationem instituisset Horatiumque in hoc carmine scribendo Platonis Phædrum ante oculos habuisse dixisset, mox *Fr. Astius*, vir doctissimus, longius hanc sententiam inquirendo persecutus, [2]) satyræ persimile carmen artem poeticam esse statuens, idem, dixit, quod Horatio castigandorum poetarum consilium fuerit, idem Platoni in Phædro sophistarum atque rhetorum irridendorum fuisse, et eandem ob causam, quemadmodum ille artis poeticæ, hunc rhetoricæ præcepta dedisse; imo colorem Platonicum ex plurimis locis pellucere, denique ipsum Phædrum Pisonis filio haud dissimilem videri. Hæc igitur Astii sententia maximo cum plausu accepta, ut omnia virorum clarorum dicta, etsi paululum absurda sint, a stulta discipulorum plebecula in sinu gestantur, per longum tempus invaluit, donec nuper quidam viderunt, [3]) nullo plausu dignam esse, imo dubiam atque fallacem. Facile enim demonstrari potest, neque Platonem in scribendo dialogo idem sibi proposuisse, quod Horatius in faciendo carmine, neque Horatium colorem Platonicum servasse singulave ejus verba expressisse. Et, ut primum quidem de fine operis videamus, tota ista Horatii cum Platone comparatio in ea consistit ὑποθέσει, utrique castigandi atque exagitandi consilium fuisse, Horatio malos poetas, rhe-

---

1) De Horatio Platonis æmulo ejusque epistolæ ad Pisones cum hujus Phædro comparatione. Lips. 1798. 4.⁰

2) De Platonis Phædro. Jen. 1801. cap. 3. p. 32.

3) Haberfeldt p. 256. Bähr röm. Littgesch. §. 107. Obbarius l. c.

tores Platoni. Sed cum certissimum habeamus, neutrum hoc dumtaxat propositum peregisse, tota ista comparatio, quippe ex vano hausta, sublato fundamento statim concidere videtur. Neque enim Horatium carmen scripturum tantummodo hoc, quo modo malos poetas vellicaret, spectasse, ex iis, quæ supra hac de re disserui, satis, opinor, perspicuum est. Sed ne Plato quidem in Phædro idem sibi proposuisse videtur. Quamvis enim etiam de huius libri proposito et consilio in varias partes disputatum sit, ita ut alii de amore potissimum atque pulchro in eo agi censuerint, alii artis rhetoricæ præcepta quædam tradi putaverint, quibus illustrandis orationes illæ de amore habitæ inservirent, alii denique alia de ea re judicia in medium attulerint: hoc tamen virorum intelligentissimorum judicium est, illud maxime in hoc libro egisse Platonem, ut vanam, inutilem et fallacem rhetorum artem argueret, nisi cum vera philosophia esset connexa atque copulata. [1]) Factum enim est, ut ille, qui doctrina et scriptis quam maxime excelluit, non effugeret eorum invidiam, qui doctrinæ et eloquentiæ laudem sibi tanquam propriam vindicarent. Quare in hoc dialogo, quem ex itinere Italico redux factus, cum jam alios instituere cœpisset, conscripsisse videtur, rhetores istos atque sophistas, qui ipsum maligno dente arroserant, censura Lysianæ orationis facta, lepide

---

[1]) cf. *Stallbaum* præf. ad Phædr. p. 18; de Platonis vita, ingenio et scriptis p. 24; *Karl Fried. Hermann* Recension von Stallbaums Phædrus in dem neuen Jahrb. für Philol. 3ter Jahrgang, 7ter Bd. 4tes Heft, p. 408 sqq.

quidem carpsit, sed simul omnem eloquentiam, sive in scriptione cerneretur sive in sermone, inanem esse, nisi e philosophia tanquam vero ipsius fonte hauriretur, docuit. [1]) Quæ cum ita sint, hoc in illa comparatione verum esse videtur, quemadmodum Horatius et sal quoddam acre sparserit, quod mirum quantum valet, et deinceps de re poetica multa passim egregie præceperit: ita Platonem et rhetores derisisse et simul, quo modo bene dicatur scribaturque, copiose atque prolixe inquisivisse. [2]) Atque hercule nescio, uter majore jure hoc fecerit. Difficile enim est ad discernendum, utri castigatione et objurgatione digniores fuerint, poetæ illi, imitatores, servum pecus, quorum tumultus tam sæpe Horatio bilem jocumve moverunt, [3]) an sophistæ illi, qui vi orationis parva magna magnaque parva, nova vetusta vetustaque nova facientes, præterea eadem paria et imparia, unum et multa, manentia et agitata esse dictitantes, [4]) jam a Socrate æterno atque acerbissimo bello profligati sunt. Sed cum neuter primario loco hoc egerit, ut usquequaque illuderet, comparatio omnino rectius non instituitur. Prorsus ineptus præterea est Phædrus, cum Pisonis filio in comparationem vocatus. Quæ est, Dii boni! similitudo inter virum, Socrati ætate fere parem, [5]) omnia severe ad

[1]) cf. p. 277. B. C; Cic. orat. 13; 4: «nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque rei cernere neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: nec judicare, quæ vera, quæ falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.»

[2]) cf. p. 250. E; p. 271. C. [3]) ep. 1. 19. 19.

[4]) Phædr. p. 267. A. B; p. 261. D; cf. Apol. Socr. p. 18. B; Aristoph. nub. 99. 114; Cic. de or. 1, 22; 3, 32; Brut. 8; Gell. n. a. 5, 3. [5]) Hermann l. c. p. 413.

artem et præcepta revocantem, in verba magistri jurantem, et inter illum adolescentem vix vicenarium, scribendi imperitum et admonitione perquam egentem. At Horatius Pisonis filio, quo modo carmina pulchra se habeant, Plato autem Phædro, quo modo orationes bene scribantur ostendit. Recte quidem ille, minime autem Plato, qui Phædrum cum Socrate garrientem nonnisi hanc ob rem induxit, ut, quæ est horum dialogorum ratio, disputatione illorum facta, suam ipsius sententiam enodate explicaret. At omne simile ex aliqua parte claudicat. Non solum claudicat, sed tota res vacillat. Quapropter hoc mihi maxime probabile videtur, virum de Platone optime meritum de Horatii consilio falsam cogitationem sibi informasse et blanda similitudinis cujusdam specie captum in instituta comparatione ingeniosiorem se atque sagaciorem, quam veriorem præbuisse. Quam quidem rem ita se habere, ex eo denique patet, quod colorem Platonicum ex ipsis versibus Horatianis pellucere oculis nimis sane acutis vidit. Quocirca omnes erraruut, qui stulte eum secuti Horatium Platonis singula verba, flexus sententiasque imitatum esse dixerunt. Nam quamvis antiqui non eodem, quo nos, ducti fuerint sensu, ut turpe et indignum habuerint, alius scriptoris verba exscripsisse, sed contra ita honorem ei haberi statuerint (ut Virgilius complures Ennii versus totos carmine suo inclusit): bene tamen distinguere sciverunt inter imitationem illam, qua impellimur cum diligenti ratione, ut excellentium hominum virtutem atque ingenii præstantiam aut consequi possimus, aut voluntate certe proxime accedamus, et inter illam putidam atque fastidiosam, qua, quia sine ratione

ingenioque fieri solet, sane per fimus ridiculi. Quæ Græcorum imitatio, cum toties Horatio probro data sit, quippe quæ de domestica atque nativa ejus indole multum detraxerit, non abs re videtur, quæ fuerit, paucis hic obiter indicare. [1])

Hominibus a parvulis insitum esse atque innatum imitandi quoddam studium, a quo ipsa poesis magnam partem originem traxerit, jam Aristoteles recte tradidit. [2]) Itaque factum est, ut, qui imitando numeroque composito primorum carminum fortuito auctores erant, ipsi mox ceteris ante oculos obversati imitationis exemplaria exstiterint. Omnis enim vitæ ratio sic constat, ut, quæ probamus in aliis, facere ipsi velimus. Cujus quidem rei documentum est, quod Romani Græcos, nos Græcos æque ac Romanos dignos habemus, quos imitatione consequamur. Enimvero Romanorum hæc erat tum temporis litterarum condicio, ut, quicunque ad nominis celebritatem pervenerunt poetæ, Græcorum præclara exemplaria imitando magnitudinem consecuti essent, quamobrem nemini prorsus illa imitatio crimini dari potest; præsertim cum imitatio ejusmodi sit, ut non solum eum dicamus imitari, qui alius verba, breviter tantummodo commutata, iterare conatur, sed eum quoque, qui ab alio rei argumentum et componendi rationem petit. Qua quidem in re parvi refert, omnino nova excogitasse, dummodo singulæ partes scite apteque ita inter se conjunctæ sint, ut quasi novæ videantur. [3])

---

[1]) De imitatione cf. Quint. inst. or. 10, 2; Hurd-Eschenburg II. pag. 97 sqq; Machacek pag. 46 sq.; interpr. ad v. 133.

[2]) poet. 4. [3]) cf. Pis. v. 242.

Ceterum, qui ab iis, quæ naturæ humanæ, scientiæ, experientiæ communia sunt, argumentum petit, imitator vix potest appellari. Ad hoc tenendum est, sæpius accidere, ut quæ præclara nobis imitationeque digna videantur, sine ullo imitationis consilio nobisque pæne non conscii agamus, quia tam multum animo ea agitavimus et comprehendimus, ut in succum ac sanguinem nostrum abierint. Quod imitandi genus, quis unquam Horatio vitio vertet? Sed duo potissimum peccata, in quæ priores illi stulti imitatores sæpissime inciderunt, Quintilianus et Lambinus, summi auctores, denotant. Alteri enim, cum delegerunt aliquem, quem imitando effingant, ita serviles sunt, ut ne unguem quidem ab illo, quem sibi imitandum proposuere, discedere audeant. Quos ipse Horatius nostro carmine vituperat, monens, ne, vinculis nobismet injectis, quæ liberius exspatiari non patiantur, ita alios sequamur, ut interpretes indiserti, sed potius ut ex fontibus eorum judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriamus: [1])

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.

Eodem semper consilio vera ingenia in persequendis imaginibus ducta sunt, ut Cicero de se ipso scribit, [2]) qui cum orationes inter se contrarias Æschinis Demosthenisque convertisset, non se convertisse dicit, ut interpretem, sed ut oratorem, sententiis iisdem et earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis, in quibus non verbum

[1]) v. 133. [2]) de opt. gen. or. 5.

pro verbo necesse se habuisse reddere, sed genus omnium verborum vimque servare. Quis igitur Horatium putido illo modo atque pusillo ingenio Græca exemplaria expressisse putaverit? — Alterum est imitatorum peccatum, quod ea, quæ imitaturi sunt, non penitus intelligentes et in suscipiendo onere suas vires non consulentes plerumque in pejus declinant et proxima virtutibus vitia comprehendunt. Decipit enim exemplar vitiis imitabile. [1]) Quod ad imitandi genus ne e longinquo quidem Horatium inclinare, et per se apparet, et unusquisque facile intelliget, qui carmen aliquod cum Græco exemplari diligenter contulerit, atque secum reputaverit, quod ipse alio loco de sua Græcorum imitatione prædicavit: [2])

> Libera per vacuum posui vestigia princeps,
> Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit,
> Dux regit examen. Parios ego primus ïambos
> Ostendi Latio, numeros animosque secutus
> Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

Itaque semper Horatius, cum scriptionis genus a nemine adhuc usurpatum secutus est, libere et suo arbitratu, privati factis, quæ publici juris fuerant, secutus est, haud nescius, non inauditis rerum initiis novisque inventionibus, sed ingenio, vi, facilitate, venustate, quæ imitabilia non sunt, se superiorem dicessurum esse.

Sed ut co revertatur, unde deflexit oratio, perpauca modo dicta vel sententiæ diligenter mihi Platonis Phædrum cum Horatii epistola ad Pisones conferenti ita congruere videbantur, ut Horatius ex Platone illa hausisse vel ob oculos habu-

---

[1]) ep. 1. 19. 17. [2]) ep. 1. 19. 21. sqq. v. 32.

isse jure dici posset. Nam non solum in tota Lysiæ declamatiuncula atque in præstantissima Socratis oratione aliæ res tractantur, quæ ne minime quidem ad Horatium pertinent, verum etiam in suscepta de optimo scribendi genere disputatione nescio an nullo jure sententiarum similitudo laudetur. Et quæ similitudinem quandam gerere videbantur, hæc fere inveni. Pg. 237. C: περὶ παντός, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι· εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. Hor. Pis. v. 309: *scribendi recte sapere est principium et fons.* Pg. 259. E: ἆρ᾽ οὖν οὐχ ὑπάρχειν δεῖ τοῖς εὖ γε καὶ καλῶς ῥηθησομένοις τὴν τοῦ λέγοντος διάνοιαν εἰδυῖαν τἀληθὲς ὧν ἂν ἐρεῖν πέρι μέλλῃ; v. 38: *sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri.* Pg. 264. C: ἀλλὰ τόδε γε οἶμαί σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῶον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσα τ᾽ ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντ᾽ ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα, illa verba nos admonent, quibus statim Horatius incipit, monstrum describens undique collatis membris, cui dicit esse librum *persimilem, cujus velut ægri somnia vanæ Fingentur species; ut nec pes nec caput uni Reddatur formæ; Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.* Qui Platonis locus non nego fieri potuisse, quin Horatio scribenti in mentem venerit. Sed is fere solus, qui quadrat; cetera jam fabulosa. Pg. 265. D: εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, ἵν᾽ ἕκαστον ὁριζόμενος δῆλον ποιῇ περὶ οὗ ἂν ἀεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ. v. 311. *verbaque provisam rem non invita sequentur.* Pg. 269. D: εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ

εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος προςλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· v. 408 *natura fieret laudabile carmen, an arte, Quæsitum est; ego nec studium sine divite vena, Nec rude quid possit video ingenium.* Pg. 270. E: δῆλον, ὡς, ἄν τῷ τις τέχνῃ λόγους διδῷ, τὴν οὐσίαν δείξει ἀκριβῶς τῆς φύσεως τούτου, πρὸς ὃ τοὺς λόγους προςοίσει· ἔσται δέ που ψυχὴ τοῦτο. v. 99. *poemata... dulcia sunto et quocunque volent animum auditoris agunto* etc.

Sed sufficiant hæc exempla; satis enim probant, nullum horum locorum apte cum Horatiano cadere, convenire atque quadrare, ita ut Horatius Platonem neque ad exprimendum, neque ad imitandum ante oculos habuisse jure meritoque dici possit. Quin si ex istis locis, qui similitudinem quandam gerunt speciemque imitationis, temere colligere vis, ex alio scriptore expressa esse, rectius sane, quam Platonem, Homerum, Pindarum, Aristophanem, Anacreontem et alios quospiam laudaveris; loci enim illorum quidam sunt longe similiores, qaam Phædri Platonis. Sed jam monui, nihil posse inscitius dici.

Superest denique alia quæstio, quam minime negaverim, num Horatius Platonem lectitaverit? Quis enim Horatium animo tam agresti ac rudi fuisse putaverit, ut tum temporis, cum Italia plena esset Græcarum artium ac disciplinarum studiaque hæc in Latio vehementius colerentur, quam in ipsis Græciæ oppidis, poetam nostrum eum ignorasse dicat, qui longe omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps? [1]) Tantum igitur abest, ut Horatium ex illo genere

[1]) Cic. or. 19.

hominum indocto atque rustico fuisse dicamus, ut eum, qui inter silvas Academi quondam quæsivit verum,[1]) non parvi fecisse virum unum totius Græciæ facile doctissimum, quem accepimus primum in Academiæ spatiis disputare solitum,[2]) rectissime credamus. Quæ cum ita sint, vere videor posse contendere, neque Horatium poeticam scripsisse, neque Platonem rhetoricam; illum solam castigationem non spectasse, multo minus hunc; Horatium igitur neque totius operis consilium a Platone petiisse, neque singulas ejus sententias ad verbum expressise.

Subdifficilior paullo neque in eandem partem accipienda exstitit jam illa quæstio, quantum cum cetera *Aristotelis* scripta, tum ejus ποιητικὴ ad nostrum carmen pertineat. Namque hoc negari nullo pacto potest, quod in Platonis Phædro maxime dubium controversumque erat, pleraque in Aristotelis rhetorices atque poetices libris inveniri, quæ non solum ad similitudinem quandam sententiarum conformata sint, verum etiam desinant cadantque simillime. Multi ideo docti viri Horatium Aristotelem aut totum expressisse, aut, quod inerat boni, ex eo excerpsisse, aut certe singula expiscatum esse atque carmini intexuisse censuerunt. Cum enim jam *Porphyrio* ex Neoptolemo Pario Horatium hausisse dixisset, aliique temere Zenonem, Critonem atque Democritum addidissent, de quibus, quoniam certiora nescimus,[3]) judicium fieri nequit, primus *Jacobus Grifoli, Lucianensis*, se ostendisse dixit, *locos Ho-*

---

[1]) ep. 2. 2. 45. [2]) Cic. pro Rab. Post. 9; de fin. 5, 1.

[3]) Pauca tantummodo Neoptolemi fragmenta apud Athenæum exstant, de quibus cf. Fabric. bib. gr. 4. p. 676.

ratianos ac totum fere hoc opus ex Aristotalis arte poetica decerptum esse. [1]) Grifolium complures interpretes secuti sunt, sed nemo in comparando Aristotele atque Horatio longius progressus est, quam *Regelsbergerus*, qui captus eo, quod dixerat, Horatii librum perfectissimam artem poeticam continere, et quanta subtilitate Horatius Aristotelem imitatus sit, demonstrare conatus est, et quemadmodum Horatii verba ex rhetorices libris constituenda sint. Qua tamen in re, quod vix aliter fieri potuit, sæpissime verborum sensum misere contorsit, præterea, quodcunque placuit, temere intulit, [2]) neque secundum leges grammaticas historicasque, quas dicunt, sed ex opinione mente præcepta explicavit. Sed etiamnum hoc judicium apud litteratorum hominum volgus admodum pervolgatum est. Nihilominus tamen utriusque scriptoris ratio longe est diversa. Aristoteles enim severe inquirentium more ab imitatione incipit, unde cum ceteræ artes, tum poesis orta sit; Horatius non tam alte assurgens ab

---

[1]) Q. Hor. Flacci liber de arte poetica Jac. Grifoli Lucian. interpretatione explicatus, Flor. 1550. 4.° cf. Q. Hor. Fl. opp. grammaticorum XL commentariis illustrata. Bas. 1580. f. p. 1269, in quo libro præterea insunt commentaria Italorum quorundam Ch. Landini, Fr. Luisini, Jasonis de Nores, Parrhasii, deinde Viti Amerbachii, Henr. Glareani, Theod. Pulmanni, Freigii, Jodoci Badii, quorum nonnulli carmen jam ad artem quandam revocare conati sunt. Sed Grifolius usquequaque Jasonem de Nores inimice insectatur.

[2]) Haberfeldt p. 255: »Diess ist z. B. der Fall, wenn er im Eingange des Gedichts dem Worte *prodigialiter* die ganze aristotelische Lehre von dem *Wahrscheinlichen* und *Wunderbaren* unterlegt; oder wenn er die ganze Lehre von der *Anordnung* in die wenigen Verse des Dichters hineinexegesirt.«

οἰκονομίᾳ carminis. Aristoteles ratione rei expositæ consentanea defertur ad exponendas origines comœdiæ et tragœdiæ, in qua diutius immoratur; Horatius longe alia via, cum jam affatim de fabula disputasset, pauca de ejus origine tradit. Aristoteles tragœdiæ partes, fabulam, mores, sensum, dictionem, musica accurate definit atque adumbrat; Horatius quoque maxime in tragœdia describenda versatur, sed more poetico et certa Pisonis ratione habita. In singulis uterque sæpius congruit, uterque laudes Homeri prosequitur, uterque hominum ætates describit, sed diverso nexu, diversa intentione. Aristoteles denique ad extremum, contentione cum tragœdia facta, de carmine epico agit; Horatius, cum de hoc genere aliisque medio carmine disseruisset, sub finem, quo toto carmine tetenderat, apertius significat et prorsus alio modo finem constituit. Neque vero deperditos Aristotelis libros, in quibus de comœdia, satyris, dithyrambis aliisque poesis generibus, præterea de affectibus disputatum fuisse probabile est, alio quodam modo respexisse, satis manifestum est. [1]) Ut autem sententiarum et verborum similitudo, quanta sit, facile quisque dijudicare possit, pauca infra exempla adscribere juvat.

---

[1]) cf. ed. *God. Hermanni* Lips. 1802. 8° et *E. A. G. Græfenhahni* Lips. 1821. 8°. prol; interpretationis vernaculæ a *M. C. Curtio* Hannov. 1753. 8°. institutæ præfatio adnotationesque, et Q. Hor. Fl. de arte poetica ad Pis. ep. adj. Aristot. de poet. græce cum not. ed. *Sahl.* Hafn. 1802. 8°.

HORATIUS.

v. 1. sqq. Humano capiti cervicem pictor equinam etc.

v. 23. denique sit quidvis *simplex* dumtaxat et *unum.*

v. 42. ordinis virtus.
v. 79. sqq. Archilochum proprio *rabies* armavit ïambo: —
Alternis aptum sermonibus et populares
Vincentem strepitus et *natum rebus agendis.*

v. gg. sqq. . . . poemata; dulcia sunto
Et quocunque volent animum auditoris agunto.
Ut *ridentibus* arrident, ita *flentibus* adsunt
Humani voltus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi;
v. 119. Aut famam sequere aut *sibi convenientia* finge.

v. 120. Scriptor *honoratum* si forte reponis *Achillem,*
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

v. 125. sqq. Si quid inexpertum scenæ committis et audes
Personam formare novam, *servetur ad imum,*
Qualis ab incepto processerit et sibi constet.
v. 129. Rectius Iliacum carmen deducis in actus . . .

v. 140. Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
(sc. Homerus)

v. 136. Nec sic *incipies,* ut scriptor cyclicus olim . . .

ARISTOTELES.

poet. 23. ὅτι δεῖ τοὺς μύθους, καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, συνιστάναι δραματικοὺς, καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος, ἵν' ὥσπερ ζῶον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονὴν, δῆλον.

poet. 13. ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢ διπλοῦν.

sæpius λέξεως ἀρετή.

poet. 4. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι. — Διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους·—ἐν τοῖς ψόγοις τῶν φαύλων καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον.

rhet. 3, 7. συνομοιοπαθεῖ ἀεὶ ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι.

poet. 17. πιθανώτατοι γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς φύσεως οἱ ἐν τοῖς πάθεσίν εἰσι· διὸ καὶ χειμαίνει ὁ χειμαζόμενος καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα.

poet. 15. τρίτον δὲ τὸ ὅμοιον· τοῦτο γὰρ ἕτερον τοῦ χρηστὸν τὸ ἦθος καὶ ἁρμόττον ποῆσαι, ὥσπερ εἴρηται.

poet. 15. οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα σκληρότητος δεῖ· οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος.

poet. 15. Κἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων καὶ τοιοῦτον ἦθος ὑποτιθεὶς, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι.

poet. 23. ἐκ μὲν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας μία τραγῳδία ποιεῖται ἑκατέρας, ἢ δύο μόναι.

poet. 24. Ὅμηρος δὲ ἄλλα τε πολλὰ ἄξιος ἐπαινεῖσθαι, καὶ δὴ καὶ ὅτι μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ, ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν.

poet. 24. . . . . ὁ δὲ ὀλίγα φροιμιασάμενος εὐθὺς εἰσάγει ἄνδρα κ. τ. λ.

v. 151. sqq. Atque ita *mentitur*, sic veris falsa remiscet,...
(sc Homerus)
Primo ne *medium*, medio ne discrepet *imum*.

v. 157. decor.

v. 158. sqq. (totus locus ex Aristotele expressus videtur)
. . . . . . *prodigus aeris*,
***Sublimis cupidusque* et *amata relinquere pernix*.**
. . . . ætas animusque virilis
***Quærit opes* et amicitias, inservit honori.**
***Quærit* et *inventis miser* abstinet ac timet uti,**
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti etc.

v. 185. Ne *pueros* coram populo *Medea trucidet*,

v. 191. Nec *deus* intersit, nisi *dignus vindice nodus*
Inciderit;

v. 193. sqq. *Actoris partes chorus officiumque virile*
***Defendat*, neu quid medios *intercinat actus*,**
Quod non proposito *conducat* et *hæreat* apte.

v. 214. . . . . . et luxuriam addidit arti
Tibicen *traxitque vagus per pulpita vestem*;

v. 220. sqq. Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam *agrestes Satyros nudavit* et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit . . .

poet. 24. Δεδίδαχε δὲ μάλιστα Ὅμηρος καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ.
poet. 18. πολλοὶ δὲ πλέξαντες εὖ λύουσι κακῶς· δεῖ δὲ ἄμφω ἀεὶ κροτεῖσθαι.
c. 17. τὸ πρέπον.
rhet. 2, 12. φιλοχρήματοι.
φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι· εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἀψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται· οἱ πρεσβύτεροι ... πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς τὸ καλόν — μικρόψυχοι, ἀνελεύθεροι, κατεψυγμένοι.
ζῶσι τῇ μνήμῃ μᾶλλον ἢ τῇ ἐλπίδι, οὐ πρακτικοὶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, ἀλλὰ κατὰ τὸ κέρδος — οὐδὲ φιλογέλοιοι, ἐνάντιον γὰρ τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτι — δειλοὶ καὶ πάντα προφοβητικοί — φιλόζωοι — διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες· ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται κ. τ. λ.
poet. 14. καθάπερ καὶ Εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν Μήδειαν — τοῦτο μὲν οὖν ἔξω τοῦ δράματος.
poet. 15. Φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς· ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος.
poet. 18. Καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι—δι᾽ ὃ ἐμβόλιμα ᾄδουσι—ἢ εἰ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττοι ἢ ἐπεισόδιον ὅλον;
poet. 26. πολλὴν κίνησιν κινοῦνται, οἷον οἱ φαῦλοι αὐληταὶ κυλιόμενοι, ἂν δίσκον δέῃ μιμεῖσθαι, καὶ ἕλκοντες τὸν κορυφαῖον, ἂν Σκύλλαν αὐλῶσιν.
poet. 4. Ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων καὶ λέξεως γελοίας, διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἀπεσεμνώθη.

v. **278.** sqq. Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus et modicis instravit pulpita tignis
Et *docuit magnumque loqui* nitique cothurno.
v. **310.** Socraticæ chartæ.
v. **319.** sqq. Interdum *speciosa locis morataque recte*
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam *versus inopes rerum nugæque canoræ.*

v. **338.** sqq. *Ficta voluptatis causa* sint *proxima veris,*
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi.
v. **340.** Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

. . .

v. **361.** ut pictura, poesis . . . .

v. **372.** sqq. . . . . mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnæ.

v. **408.** sqq. *Natura* fieret laudabile carmen, *an arte,*
Quæsitum est:
v. **464.** sqq. . . . . Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit.

poet. 4. *Καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε.*

poet. 1. *Σωκρατικοὺς λόγους.*

poet. 6. *Ἔτι ἐάν τις ἐφεξῆς θῇ ῥήσεις ἠθικὰς, καὶ λέξεις καὶ διανοίας εὖ πεποιημένας, οὐ ποιήσει, ὃ ἦν τῆς τραγῳδίας ἔργον, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἡ καταδεεστέροις τούτοις κεχρημένη τραγῳδία, ἔχουσα δὲ μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων.*

poet. 25. *πρός τε γὰρ τὴν ποίησιν αἱρετώτερον πιθανὸν ἀδύνατον ἢ ἀπίθανον καὶ δυνατόν.*

poet. 14. *οἱ δὲ μὴ τὸ φοβερὸν διὰ τῆς ὄψεως, ἀλλὰ τὸ τερατῶδες μόνον παρασκευάζοντες οὐδὲν τραγῳδίας κοινωνοῦσιν.*

poet. 6. *παραπλήσιον γάρ ἐστι* (sc. *τὰ ἤθη*) *καὶ ἐπὶ τῆς γραφικῆς.*

c. 25. *ἐπεὶ γάρ ἐστι μιμητὴς, ὥσπερ ἂν ζωγράφος ἤ τις ἄλλος εἰκονοποιός.*

poet. 18. *μάλιστα μὲν οὖν ἅπαντα δεῖ πειρᾶσθαι ἔχειν· εἰ δὲ μή, τὰ μέγιστα καὶ πλεῖστα· ἄλλως τε καὶ ὡς νῦν συκοφαντοῦσι τοὺς ποιητάς.*

poet. 8. *ὁ δὲ Ὅμηρος, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην, ἢ διὰ φύσιν.*

poet. 1. *οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, πλὴν τὸ μέτρον· διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον, ἢ ποιητήν.*

Ex his igitur exemplis facile colligi potest, nequaquam tot esse Aristotelis locos in Horatianos *apte* quadrantes, quot nonnulli interpretes similitudinis quadam specie decepti laudarunt. Præterea illos vehementer errasse satis apertum est, qui Horatium ita fidum interpretem fuisse censuerunt, ut verbum verbo reddere curans non solum totius carminis ingenium, verum etiam singulas sententias verbaque ab Aristotele petierit. Nam, si quæ petivit, nullo tamen modo ei plane inserviit. Sed ceteri Aristotelis libri multo minore jure in comparationem vocantur. Quo magis admiranda est *Regelsbergeri* audacia, qua ea, quæ Aristoteles de arte rhetorica in universum docuit, Horatio, ubicunque potuit, obtrudere conatus est. Sed quod hac in re verum esse videtur, hoc est, Horatium Aristotelem passim ita respexisse, ut in singulis quibusdam sententiis verbisque exprimendis casu fortasse magis aliquo atque natura rei, quam consilio, cum eo consenserit. Quod tamen ne quis ita intelligat, ut Horatium evolutum Aristotelis librum ante oculos habuisse et inde, quod aptum sibi videbatur, transscripsisse credat, hoc monitum velim, quod satis notum est, cum antiqui libros multo diligentius, quam nos, legerint relegerintque, inde factum esse, ut sæpius dixerint aliquid, quod antea alius, sed iterum iterumque legendo atque meditando privati juris factum erat. Quid igitur mirum est, si Horatius in re toties tractata vocabulis usus est, quæ crebro usu tanquam sancita erant? Quid enim, si sententiæ quædam, quas apud unum alterumve olim invenerat, succurrebant? Luculentissimum hujus

rei exemplum est illa quatuor ætatum descriptio, ex qua apertum fit, non fidum fuisse Horatium interpretem, sed libere versatum esse. [1]) Cetera, quæ de imitatione supra dixi, repetere supervacaneum duco, sed ea maxime ad Aristotelem pertinent. Quis omnino Horatium laudatissimi scriptoris librum, non solum tota antiquitate, verum etiam eo tempore, quo litteræ minus florebant, apud barbaros, et mox, cum ex superiorum annorum caligine et tenebris lucem respicere cœpissent, nostris sæculis diligentissime tractatum non penitus planeque cognitum habuisse crediderit? Ceterum tenendum est, præstantissimum libellum vix primam particulam esse tripartiti operis, quod injuria temporum ætatem non tulit, cujus rei et ipse Aristoteles et Diogenes Laertius, Plutarchus, Boethius auctores sunt. [2]) Sed quamvis permagna fuerit et de antiquo libelli statu et de argumento ejus, qualis nunc circumfertur, judiciorum discrepantia, hoc certe a nemine in dubium vocatum est, Aristotelem, quod ipse testatur, [3]) artem poeticam scripsisse. Sed ideo nullo jure Horatio et Aristoteli idem propositum fuisse dici potest. Nam cum Horatius non id egerit, ut perfectam artem poeticam nos edoceret, cum ea potius, quæ longa experientia probatissima sibi viderentur, ad Pisones scripserit, quorum unum dehortatus est, ne temere poematis pangendis operam

---

[1]) Id quod ipse Arnoldius fatetur, not. ad v. 174: «Dass Horaz bei dieser Charakteristik der Alten die des Aristoteles in seiner Rhetorik vor Augen gehabt habe, ist eben so natürlich, als offenbar; aber in der Darstellung, wie in Einzelnheiten, hat er seine Eigenthümlichkeit bewahrt. So z. B. beschreibt er 4 Stufen, während Aristoteles nur 3 hat, die Kinderjahre auslassend. Auch enthält es bei seiner Kürze u. Gedrängtheit doch das Wesentlichste.»

[2]) Ar. rhet. 3, 18; polit. 8, 7. Petersen griech. Littgesch. §. 268.

[3]) poet. 1. περὶ ποιητικῆς, αὐτῆς τε καὶ τῶν εἰδῶν αὐτῆς, — λέγωμεν.

daret, nescio quo modo quis illum cum Aristotele, qui tam clare atque aperte, quid voluerit, indicavit, idem secutum esse dicere queat. Non possum igitur facere, quin, quod nonnulli de eodem Horatianæ epistolæ ad Pisones et Aristotelis poetices proposito ac argumento disseruerunt, in virorum doctorum somniis nugisve collocem.

Ad extremum superest, ut alius etiam comparationis mentionem faciam, quæ a homine quodam instituta est, qui, cum vidisset, Platonis Phædrum minime quadrare, nihil minus tamen immodico comparandi studio abreptus, nostrum carmen aptissime cum eo libro, quem *Lucianus de conscribenda historia* composuit, conferri posse scripsit. [1]) In illo enim libro Lucianum præcepta dedisse conscribendæ historiæ, quemadmodum in nostro Horatius artis poeticæ; præterea sicut Horatius misellos poetas insectatus sit, ita Lucianum in illos perditos homines invectum esse, qui non historiam, sed narratiunculas scripserint. Vides hanc ceteris non veriorem esse comparationem. Nam si Horatii libellum cum omnibus iis conferre vis, qui aliquid præceperunt, ad Quintilianum, Gratium Faliscum et nescio alios quos te relegabo. Sed in hoc maxime ille vir falsus est, quod inde profectus est, utrumque castigationibus potissimum usum fuisse, [2]) id quod jam supra inscite dictum esse demonstravi. Non aliter igitur hac de re judicare possum, ac de illis, quas supra percensui, comparationibus, quamvis minime negaverim, in Luciani libro hinc inde fortasse quædam esse, quæ similitudine quadam cum Horatiana ratione conjuncta sint.

---

1) Dohrn, einige Bemerkungen etc. cf. supra pg. 51. not. 2.

2) p. 7: »Beide haben nicht Belehrung, sondern Rüge zum Hauptzweck.«

In parte disputationis meæ licet mihi præfari, quod in principio summæ totius professus sum, breviter jam recognoscere animum esse, quid mihi de consilio Horatii in scribendo hoc carmine deque ipsius carminis ratione rectum verumque videatur. Qua quidem re fortasse supersedere possem, cum in examinandis virorum doctorum judiciis, quid statuerim, usquequaque indicaverim. Sed quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint, pauca supra repetere decrevi. Proinde his de rebus, quam verissume potero, paucis absolvam.

Quamtumvis Horatii consilium in hac epistola scribenda in obscuro magis hæreat, quam satis apertum sit, hoc ad liquidum exploratum esse mihi videtur, duplicem hujus epistolæ sententiam exstare, vel duas potissimum res Horatium in ea secutum esse, primum ut ea, quæ sibi poetæ jam senescenti, at artis poeticæ peritissimo, probatissima et maxime commendanda videbantur, cum Pisonibus litterarum amantissimis, quibuscum usu familiari conjunctus erat, communicaret; deinde ut Pisonis filium natu majorem, ad versus faciendos propensiorem, et dehortaretur, ne temere poemata fabulamve componeret, et in universum cautiorem redderet a vitiis quibusdam, quibus illa ætas laborabat.

Primum igitur laudatissimus noster poeta, cum sæpius in aliis epistolis de litteris Romanis bonisque artibus locutus est, tum in nostra, cum jam versus facere desiisset, de re poetica ad amicos suos scripsit Pisones. Quod cur facere non potuisset, non intelligo, quandoquidem ad Cæsarem Augustum et Julium Florum similiter de poesis studiis perscripserat. Sufficiebat nobilissimorum virorum amicitia, litterarum amor et studium, ut ad scribendum impellerent; nec precibus opus erat, nec filii imperitia, nec ejus ad versus faciendos proclivitate, quæ vero ad cœpta maturanda ultro accedebant. Jam de Pisonibus, si quæris, duas potissimum virorum doctorum sententias esse video, unam illorum, qui ad *Lucium* Calpurnium Pisonem, qui consul fuit cum M. Livio Druso a. u. c. 738 ejusque filios, alteram vero illorum, qui ad *Cnæum* Calpurnium Pisonem, qui consul suffectus erat a. u. c. 731 ejusque filios, Cnæum et Lucium, epistolam scriptam esse putant. Et illam primam sententiam omnes fere a Porphyrione ad nostram usque ætatem viri docti secuti sunt. Erat autem hic Piso, nobilissima Calpurniorum gente natus, quæ originem a Calpo Pompilio, Numæ regis filio, duxit, postea urbis præfectus, ceterum homo libidinosus et plerumque ebrius, ad quem, Plinio teste, [1]) urbis Romæ curam Tiberius princeps hanc ob causam detulit, quod biduo duabusque noctibus apud ipsum jam principem perpotationem continuasset, quod idem Suetonius et Seneca tradiderunt. [2]) Tametsi, eodem Seneca auctore, officium suum, quo

---

[1]) h. n. 14, 28. [2]) Suet. Tib. 42; Sen. ep. 83.

tutela urbis continebatur, diligentissime administravit. Quæ res fortasse causa fuit, ut Vellejus Paterculus eum diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanæ custodem fuisse scripserit. [1]) Natus est Piso, quod ex Tacito colligere licet, [2]) a. u. c. 705, et postquam per viginti annos præfectus urbi fuit, fato obiit anno ætatis octogesimo, u. c. 785. Præfecturæ autem potestate jam ante a. 765, Augusto adhuc vivo, a Tiberio, quem Augustus jam collegam imperii adsumpserat, auctus est. [3]) Et hic quidem est Lucius Calpurnius Piso pater; de filiis autem plane nihil constat, præterquam quod *Acro* majori nomen Lucio fuisse testatur, [4]) et utrumque litterarum atque poesis amantissimum fuisse, ex ipso Horatio colligendum videtur. Sed nuper exstiterunt quidam viri docti, qui, cum Lucii filiorum auctores mentionem non faciant, non Lucio ejusque filiis, sed *Cnæo* Calpurnio Pisoni ejusque filiis dicatam esse epistolam dixerunt. [5]) Hunc Pisonem, patrem, Tacitus tradidit, [6]) civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juvisse, mox Brutum et Cassium secutum, concesso reditu, petitione honorum abstinuisse, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere a. u. c. 731. [7])

---

1) 2. 98. 1. 2) ann. 6, 10 sq.
3) cf. Walther ad Tac. ann. l. c. 4) ad. v. 366.
5) *J. H. van Reenen:* dissertatio de Hor. ep. ad Pis. Amst. 1806; *P. v. Hocheder:* ars poet. pg. 89 sqq.; *Obbarius:* in Seebode krit. Biblioth. l. c. pg. 599 sq. 6) ann. 2, 43.
7) Consules enim hujus anni erant L. Sestius et A. Terentius Varro Murena, cujus in locum, cum mox obiret, Piso ille, Cn. f. Cn. n., suffectus est. cf. Baiter: fasti consulares in Orelli onom. Tull. Cic. opp. VIII. pg. LVII.

Cujus de filio, Cnæo, Tacitus tradidit, a Tiberio a. u. 770 Syriæ præfectum, ceterum ingenio violentem et obsequi ignarum, insita ferocia a patre Pisone, Germanici inimicum, et, ut persuasio erat, interfectorem fuisse. Idem a Seneca quoque homo pravus, cui placebat pro constantia rigor, appellatur.[1]) De altero autem Cnæi Pisonis filio nihil nobis notum esse invenio. Et hi quidem Pisones, quorum neque pater neque filii litterarum atque poesis amantes fuisse traduntur. Jam si quæritur, utri rectius fecerint, ii, qui ad Lucium, an ii, qui ad Cnæum Pisonem filiosque carmen scriptum putant, dijudicare difficile est. Sed mihi et propter temporis rationem et propter veterum testimonia (licet perquam pauca sint) usque huc maxime probabile fuit, *Lucium* intelligendum esse, quam in sententiam Orellium quoque et Lilicum nuper discessisse vehementer gaudeo. Utcunque se habet res, hoc certum est, Pisones, ad quos epistola nostra perscripta est, et usu quodam familiari cum Horatio conjunctos et in studiis litterarum ac poetarum diligenter versatos esse, id quod ex totius carminis ratione et præsertim ex illo modo, quo cum filio majore loquitur, manifestum est. Quis enim eos studia humanitatis ac litterarum coluisse negaverit, ad quos epistola, non quotidianis verbis contexta, sed severissima ac gravissima perscripta est? Quod, etiamsi non dubitandum esset, confirmatur *Porphyrionis* verbis, qui scripsit: «*nam et ipse Piso poeta fuit, et studiorum libera-*

---

[1]) de ira 1, 16.

lium antistes.» [1]) Præterea *Antipatri*, poetæ Thessalonicensis, exstant aliquot epigrammata, laudum atque adulationis plena, [2]) ex quibus colligere licet, et hujus poetæ fautorem adjutoremque exstitisse, et in universum Mæcenatem, nobilem illum litterarum ac litteratorum patronum, æmulatum esse. Denique non inelegantis judicii virum fuisse, ipse Horatius indicavit, cum filium voce paterna ad rectum fingi scripserit [3]) filioque commendaverit, ut, si quid fecerit, et patri ad dijudicandum det. [4]) Et hactenus de patre; de filiis autem, cum plane nihil nobis constet, id tantum dici potest, quod ex nostro carmine colligas, scilicet et duos adolescentulos fuisse, ceterum majorem ad poemata componenda propensum; sed minoris fere nulla ratio habetur. Neque vero propterea, quod jam supra monui, [5]) in eorum sententiam eo, qui eos et certe majorem politioris humanitatis atque optimæ spei fuisse censuerunt. Id enim neque ex eo, quod *patre digni* nominantur, neque ex iis, quæ de ingenio Horatius exposuit, recte colligitur. Fuerunt sane litterarum non expertes, fortasse non sine ingenio, sed inexercitati tamen ac obtusioris animi aciei, si quidem is, qui ab omni poetæ facultate destitutus carmina prurit, recte hoc nomine appellatur. Ceterum equidem majorem filium carmina fabulamve nondum scripsisse, certe non edidisse crediderim, quoniam, si quid scripsisset, Horatius non ita futuro tempore dicere potuisset:

---

1) Idem *commentator Cruquianus* statuisse videtur, cujus hæc verba exstant: «*scribit ad Pisones viros nobiles disertosque.*»

2) Antholog. græca ed. Jacobs. II. pg. 97—99.

3) v. 366. 4) v. 387. 5) pg. 45 sq.

si quid tamen *olim scripsiseris*,
et iterum si carmina *condes*.[1])

Ni igitur omnia me fallunt, puer iste major ejus generis erat, cujus innumeri tum Romæ versabantur, ad scribendum, judicandum, recitandum pronior, quam jus fasque erat, atque vana spe ingenii elatus laudis poeticæ vehementissime appetens.

Ad hos igitur Pisones, amicos suos, Horatius hanc epistolam perscripsit, quæ ob similitudinem tractatæ rei perbene cum illis ad Mæcenatem, ad Augustum, ad Julium Florum,[2]) denique cum satyris illis comparari potest,[3]) in quibus egregio quodam modo contra sinistros rumores inimicorum et prava antiquariorum judicia se defendit, et simul animum, quo ad satyras scribendas accesserit, aperuit. In his enim sermonibus, quot sint, quæ cum nostri carminis dictis congruant iisque respondeant, qui vel semel eas inspexit, facile intelligit. Utroque loco ii carpuntur, qui, quæ scripserunt, elimare et expolire nolunt, et qui Lucilio similes, in hora sæpe ducentos versus dictanti, certamen ineunt, uter alterum versuum numero superet. Neque enim sunt poetæ nominandi, qui, ingenio et mente divina destituti, concludere versum sciunt. Præterea idem monet de recitantibus deque criticis, ac in nostro carmine, quandoquidem in illa defensione, quam contra antiquarios, qui iniquum et invidiosum ejus de Lucilii satyris judicium fuisse vociferabantur, instituit, vitia bonis scriptoribus vitanda tanquam in speculo ostendit. Porro quem præterit, in epistola ad Mæcenatem, in qua in æquales poetas male sanos atque vinosos, servum pecus,

1) v. 386; 436. 2) ep. 1, 19; 2, 1; 2, 2. 3) sat. 1, 4. 10.

acerbe invehitur, permulta præclare dicta esse, quæ eadem propemodum in nostro carmine scripta sint? Quid denique de epistola illa gravissima ad Augustum, in qua principem venerans de justo pretio tam antiquioribus, quam recentioribus poetis statuendo agit, quid de lepidissima illa ad Julium Florum, in qua inter alia vanos istos poetas multo sale defricuit, qui ad carmina tam recitanda, quam audienda superbo incessu in templa se ferebant? Cum his igitur sermonibus epistolisque neque cum Aristotelis, Platonis et nescio cujus scriptis nostra epistola conferenda est.

Ad hoc si quæris, quo tempore equidem hanc epistolam scriptam putem, scito, me Kirchnero assentiri,[1]) qui illam Horatianorum operum ultimum judicat et extremo ejus biennio, annis u. c. 745 et 746, assignat. Facile enim fieri potuit, ut Lucio Pisoni, si quidem vigesimo feminam duxerat, jam filius vicenarius esset, qui, cum studia poetica coleret, Horatio perquam cordi erat. Contra ea Cnæi filium, tum temporis fere quadragenarium, juvenem appellare et gravissimis verbis paterno more monere, sane per fuisset absurdum.

Altero loco Horatius id maxime sibi proposuisse videtur, quod certis verbis significavit, ut filium Pisonis majorem, ad versus faciendos propensiorem, dehortaretur, ne temere poemata fabulamve componeret, et in universum cautiorem redderet ab assentatoribus, recitationibus, malorum poetarum studiis aliisque vitiis, quibus illa ætas laborabat. Jam supra plurimis locis indicavi,[2]) Pisonem litteris atque

---

[1]) Quæstiones Horatianæ scr. C. Kirchner. Lips. 1834. 4°. pg. 39.

[2]) pg. 44. 45. 85. sq.

poesi deditum poemata facere conatum esse, maxime tamen dubium esse, num jam quid scripserit. Sed cum maxima pars epistolæ (v. 86—308) ad fabulam vel tragœdiam et ad poetam scenicum pertineat, recte inde collegerunt, et Pisonem fabulam componere sibi proposuisse, [1]) quod insuper commentator antiquus ille Cruquianus satis aperte his verbis significavit: «*scripsit enim Piso tragœdias.*» Accedunt alia quædam, quæ hoc confirmant. Dixit enim Pisoni, si quid olim scripserit, in *Mæcii* aures descendendum esse. [2]) Atqui Sp. Mæcius Tarpa, criticus emunctæ naris, fabularum potissimum erat intelligentissimus existimator; nam et Cn. Pompejus ei delectum fabularum in ludis suis exhibendarum commisit, et postea, Augusto imperitante, inter quinque criticos erat, qui ad omnes novas fabulas, antequam in scenam mitterentur, dijudicandas destinati erant. [3]) Alio loco Horatius hoc vituperare videtur, quod poetæ fabulas quæstui habere solebant. [4]) Cum enim fabulæ non ad legendum compositæ essent, sed ut spectarentur, maximum inde detrimentum veniebat, ut poetæ eas quam possent maximo pretio venderent. [5]) Quod eo facilius et mediocres poetæ facere poterant, quia Romanis satis superque erat, dummodo ludos fabulasque apparatissimas haberent. [6]) Sed Horatius, ut dixi, graviter dissuadet monetque Pisonem, ne temere fabulæ componendæ operam det neve his malis artibus circumveniatur. Quæ fabula, quam adolescentulus se in scenam producturum esse sperabat,

---

[1]) cf. pg. 31. 34. 35 sq. [2]) v. 387. [3]) cf. sat. 1. 10. 38. et comm. Cruq. ad v. 387. [4]) v. 325 sq; 330 sqq. [5]) Terent. Hec. prol. 7. [6]) cf. Cic. ep. fam. 7, 1; Hor. ep. 2. 1 190 sqq.

num satyrica fuerit (id quod Orellius nuper ingeniose conjecit) [1]), nec affirmare, nec refellere in animo est, quare ut incompertum in medium relinquam. Id tamen maxime probabile mihi videtur, de μύθῳ quodam novo extricando juvenem cogitasse, cum Horatius id periculosum rectiusque Homericum extendendum esse non sine vi inculcaverit. [2]) Nec vero, quod juvenis nondum aut vix vicenarius fabulam componere conatus sit, est, cur miremur, cum compertum habeamus, ætatem illam non minus scribendi avidam dictorumque prodigam, quam agendi expertem factorumque inopem fuisse, ipsumque Plinium narrantem legamus, se jam decimum quartum annum agentem tragœdiam Græcam scripsisse. [3]) Sed jam in universum illius temporis vitia, a quibus cavendum esse Horatius dixit, accuratius describenda videntur.

Postquam libertate amissa Augustus cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit: plerique homines, cum jam antea rem publicam infirmam, miseram resque Romanas diutius stare non posse bene vidissent, procul a re publica ætatem agere decreverunt atque se ad optimarum artium ac litterarum studia retulerunt, in quibus animus ex multis miseriis atque periculis requiesceret. Quæ studia mox adeo floruerunt, ut Italia plena Græcarum esset artium ac disciplinarum ipsaque urbs eruditissimis hominibus afflueret. Sed verso civitatis statu non solum nihil usquam prisci et integri moris, verum etiam ipsa, quæ adhuc exercebatur, virtus hebescere cœpit, et omnia fere magna atque præ-

---

1) cf. supra pag. 48. 2) v. 225. v. 129 sq. 3) ep. 7, 4.

clara ex impuro ac lutulento fonte orta. Origo hujus mali educatio liberorum a prisca severitate ac disciplina longe recedens, cujus rei luculentissimus auctor Tacitus.[1] Jam enim infans Græculæ alicui ancillæ delegabatur et teneri pueruli animus a vilissimo quoque servo fabulis, erroribus, quæstu, lucri studio imbuebatur;[2] parvuli deinde pædagogis tradebantur, quos e Græcia arcessere ex consuetudine in naturam vortit; mox adolescentuli in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur, deducebantur, de suasoriis et controversiis garrire docturi; denique Apolloniam, Rhodum, Mitylenen, Athenas mittebantur, ut ex ipso eloquentiæ fonte haurirent. Quæ cum ita essent, splendor quidam litterarum erat, quia nobiles ac divites homines vitæ elegantiæ causa litteras colebant, monumentis urbem adornabant, bibliothecas condebant, et ipse Augustus, cujus omnes exuta æqualitate jussa aspectabant, ad id hortabatur. Verumtamen plus fuci, quam veræ eloquentiæ atque scientiæ; eruditi pauci, plurimi leviter docti. Imprimis poetarum ingens tum numerus Romæ versabatur; quisque enim poetico afflatu concitatus videri voluit, quoniam ceteri, si non rudes, at jejuni habebantur.[3] Pars igitur, libertini plerumque homines, inter procerum suppellectilem habiti; hi in conviviis carmina recitare, ceterum epithalamia, nænias et alia hujuscemodi componere, ad omnia parati, quæ dominis in deliciis forent; alii paupertate audace impulsi, ut versus facerent, quæstum et lucrum facere,[4] versus pro

---

1) dial. de or. 28 sqq. 2) Pis. v. 323 sqq; ep. 2. 1. 103.
3) Pis. v. 416 sq; 296 sqq. 4) Pis. v. 420 sqq.

nummis componere, fabulas vendere, ne dentes dentirent; scilicet venter creavit iis omnes has ærumnas. Sed etiam habitum corporis atque figuram ita instituebant, ut magni poetæ et quasi divino afflatu concitati viderentur. Nam, ut aliis ornatui corporis plurimum impendentibus excellerent omniumque ora in se converterent, capillum ac barbam promittere, incomptis unguibus, voltu tristi ac stupente incedere, secreta loca petere, balnea vitare, ad accendendum ingenium vino se ingurgitare, sublimes versus ructari. [1]) Sed, quod pejus est, homines isti alios quosque vesania imbuerunt; tanta enim fuit tum scribendi furor ac prope rabies, ut, quod olim Romæ dulce fuit et solemne, jam plane omnissum esset et totus populus *uno scribendi studio caleret;* [2])

pueri patresque severi
Fronde comas vincti cœnant et carmina dictant.

Quin, quod in nulla alia re fieri solebat, hoc in litteris solemne erat; quisque enim, sive gnarus, sive ignarus, sive peritus, sive imperitus, versus facere, judicare, emendare, criticum facere, vituperare hunc, illum laudare.

Navim agere ignarus navis timet, abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poemata passim. [3])

Sed aliter fieri non potuit, quin ii, qui tot scribebant, etiam multum et impudenter judicarent. Cui, ut exemplum afferamus, ignotum est *Anseris*,

---

[1]) Pis. v. 297 sq; 456; ep. 1. 19. 11 sq. [2]) ep. 2. 1. 103 sqq; 109 sq. [3]) v. 114 sqq.

procacis illius poetæ, nomen, cui Virgilius, nobilissimus poeta, neque Vario neque Cinna digna videbatur dicere, sed anser tantum strepere inter argutos olores? [1]) Quem fugiunt *Bavii* et *Mævii* odiosa nomina, qui Horatium et Virgilium intolerabili petulantia conviciis atque maledictis consectabantur? [2]) Quod vitium præcipue in grammaticorum atque antiquariorum numerum cadit. Scilicet multi tum erant, qui vetera tantum et antiqua mirabantur, suorum autem temporum studia irridebant atque contemnebant. Quod cum jam Augusto regnante ita fiebat, tum postea, ubi eo processit stultitiæ admiratio antiquorum, ut non Salustius primus historiarum scriptor, sed pontifices, qui annales maximos scripserant, non Virgilius atque Horatius poetarum præstantissimi, sed fratres Arvales et Numa rex haberentur. [3]) Sed contra illos Horatius licentiam novorum vocabulorum fingendorum pudenter sumptam nemini prorsus vitio vertendam esse optime demonstravit. [4])

Denique illud temporis malum, quam late manaverit, etiam ex hoc manifestum est. Nam cum tanta multitudo sit eorum poetarum, quorum nomina tantummodo nobis traduntur, ut in illis enumerandis dies nos deficiat, quanta illorum minorum gentium esse debuit, quorum, quippe ignobilium atque obscurorum, ne nomina quidem memoriæ prodere operæ pretium erat! Quid quod hoc scribendi studium quasi

---

1) cf. Serv. ad Virg. ecl. 9, 36.

2) cf. Schol. ad Hor. epod. 10, 1: Mævius poeta fuit *inimicus Horatii*, *obtrectator* omnium virorum doctorum, ipse *sectator vocum antiquarum.*

3) Hor. ep. 2. 1. 86. cf. Quint. inst. or. 10. 2. 4 et 7; 1. 6. 39 sqq.

4) Pis. v. 46 sqq.

lues etiam in domum Augustam serpsit, ita ut Mæcenas satis otii a negotiis publicis nactus sit ad tragœdias scribendas, Octavium et Prometheum, ipseque Augustus principe non indignum habuerit, a piscando vel ludendo cum pueris illis minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquisiverat, ad tragœdiam componendam confugere, quam ex Sophoclis Ajace confecisse perhibetur? [1])

Itaque, ut cum Juvenale loquar, [2]) cum omnes tenuisset insanabile scribendi cacoethes et ægro in corde senesceret, facile est intellectu, id nullos prorsus fructus tulisse. Rhetorum enim scholæ re vera ludi impudentiæ; in iis nihil reverentiæ, in condiscipulis nihil profectus, ipsæ vero exercitationes magna ex parte contrariæ, [3]) ita ut, quod olim Græcis moris erat, etiam Romanis placeret omnesque, simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum unctionis causa relinquerent. [4]) Denique quæ poemata composita fuerint, consideres, quæso. Ad syllabarum distinctiones descendebant, sermo tumidus, oratio exaggerata, stilus contortus atque impurus, versus duri, incompti, ambitiosa ornamenta, ingens magnificentia verborum, rerum misera inopia, totum nihil nisi nugæ canoræ. [5])

Aliud reliquum est hujus temporis malum ceteris cognatum, a quo cavendum esse Horatius dixit, recitationes et declamationes dico, quæ initio hanc ob causam institutæ sunt, ut is, qui carmen aliquod

---

[1]) Suet. Aug. 83. 85. [2]) sat. 7, 52. [3]) Tac. dial, 35.
[4]) Cic. de or. 2, 5. [5]) cf. Pis. v. 14. 322. 445. 448.

composuerat, quid amici de illo sentirent, audiret. Sed mox non solum amici, verum omnis generis homines arcessebantur, imo ipse Augustus recitantes et benigne et patienter audiit. [1] Sed postquam primus Asinius Pollio eas novo quodam modo instituit, non aliud erant, quam ἐπιδείξεις et ἀκροάσεις Græcorum sophistarum. [2] Itaque domum mutuari, auditorium exstruere, subsellia conducere solebant; deinde vel voce vel per codicillos vel per libellos homines invitari, dies et hora constitui; ingenti cum fastu atque molimine eo contendere, quo conveniendum erat, in balnea, basilicas, templa; auditores in subselliis et in orchestra sedentes plaudere, clamare *pulchre! bene! recte!* deinde auctor beatus iterum ab initio repetere. [3] Sed omnis illa laus intra unum et alterum diem velut in herba vel flore præcepta ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nam nihil aliud erat nisi clamor vagus, voces inanes et gaudium volucre. [4] Accedebat magna molestia, quia is, qui librum aliquem ad recitandum elucubraverat, rogare ultro et ambire persæpe coactus erat, ut essent, qui dignarentur audire. Quid igitur mirum est, quod Horatius, cum, ne genus irritabile vatum irritaret, poetis carmina sua recitantibus patientes aures præberet, se audientem eos multa tulisse et aures obturare, quam arrigere maluisse dixit? [5] Ipse enim nonnisi amicis idque coactus recitabat, non ubivis coramve quibuslibet. [6]

---

1) Suet. 89.

2) Tac. dial. 9; Senec. controv. 3. 4. Bähr röm. Littgesch. §. 14. a. et quos laudat scriptores not. 9.

3) Hor. sat. 1. 4. 75; ep. 2. 2. 93; Juven. sat. 7, 39; Hor. Pis. 428.

4) Tac. dial. 9 sq.; Quint. 4. 2. 37.

5) ep. 2. 2. 102 sqq. 6) sat. 1. 4. 73 sqq.

Quo magis est mirandum eorum judicium, qui carmen de arte poetica publicæ recitationis causa ab Horatio compositum esse dixerunt. Sed recitationum ea erat pernicies, ut non modo ingenium non alerent nec ullum eruditionis litterarumque oblectamentum afferrent, verum etiam bona ingenia atque sana judicia perderent. Quid enim inde redundare potuit, cum recitantes nihil nisi vanam gloriam atque inanem laudem captare studerent, auditores autem magnifica quadam specie circumventi, denique ii, qui *bene* et *pulchre* acclamabant, laudicœni et σοφοκλεῖς, conducti et redempti mancipes essent? [1]) Verum enimvero Horatius noluit Pisonem ab assentatoribus, qui divitum lateribus adhærere solebant, corrumpi, dissuasit recitationes, dehortatus est, ne temerarius poematum judex fieret, denique multo satius cavit, ne inconsulte versus faceret, neve, si olim fecisset, limæ laborem atque moram omitteret.

Restat, ut de carmine, qua ratione ad Horatii consilium conformatum sit, pauca addam. Ut enim argumentum cujusque rei utique consilio respondet, quod exsequendum scriptor in animo habuit: ita etiam ratio hujus carminis Horatii proposito accommodata atque aptata sit, necesse est. Quod re vera ita se habet, quamvis nonnulli calliditati, alii negligentiæ ejus nimium tribuentes justo longius processerint. [2]) Neque enim est Horatius tanquam serpens, qui quotannis cutem abjicere solet, sed manet usquequaque idem homuncio lepidissimus, quo nomine Augustus eum appellavit, tam in ceteris car-

---

[1]) Plin. ep. 2, 14. [2]) cf. pg. 46 sq.

minibus epistolisque, quam in nostra ad Pisones epistola. Ceterum, quod jam supra dixi, [1] si misellos poetas dumtaxat insectari vitiaque temporis perstringere voluisset, satyram neque epistolam scripsisset. Atqui carmen nostrum est epistola, qua quidem re hercle honor Horatio non detrahitur. [2] Quod enim quotidianæ vitæ epistolis proprium est, ut in illis scribendis, familiaritate quadam permoti, non certum ordinem sequamur, sed, quæ succurrunt, liberius et incuriosius addere et inter se jungere soleamus, id etiam in Horatii epistolis fieri solet, [3] in quibus de philosophia, de studiis poeticis, de habitu sæculi, de statu litterarum disputatum est. Quod si reputassent secum nonnulli interpretes, neque operam in carminis argumento ad singula præcepta referendo, neque severa grammaticorum subtilitate ad summam artem revocando perdidissent. Et *οἰκονομία* quidem, quam jam supra sapientem esse dixi, [4] hæc fere mihi esse videtur.

Cum in poemate, quodcunque est, unitas illa organica, quæ dicitur, maxime requiratur, aptissime Horatius exorsus est docens, quidvis debere esse simplex et unum (v. 1—23.); quod qui negligit, poema faciet monstro fœdo et ridiculo haud dissimile nec ullam excusationem habet, etsi (more Furii Bibaculi) diverticulorum amœnitatibus utitur. Quod vitium, in quod juvenes plerumque incidere solent,

---

1) pg. 87.
2) Regelsberger pg. 151: «Wer Horazens Ehre liebt und diess Lehrgedicht verstehn will, der betrachte es nicht als einen Brief; als Brief betrachtet, lässt es sich mit Anstand gar nicht erklären.» (!)
3) cf. pg. 13 sqq. 4) pg. 16.

ansam dedit ad omnium communia denotanda, obscuritatem, levitatem, tumorem, humilitatem, novitatem prodigiosam, inscitiam denique illam, in quam culpæ fuga ii potissimum incurrunt, qui arte in optimi cujusque mente insita carentes singula quidem bene exprimunt, totum male. Quare scribentes graviter jam monet, ut materiam suis viribus æquam sumant, quo facto nec facundia, nec ordine, nec ordinis virtute carerent (v. 24—45). Magna interpretum omnia ad artem revocantium altercatio exstitit, quam ad partem hæc, quæ huc usque Horatius scripsit, referenda sint; *Regelsbergerus* et *Hohlerus* ad dispositionem, alii ad fictionem pertinere, denique *Schelleus* lepidam narrationem esse dixit, totum præceptum concludentem. Sed recte jam multi dixerunt, illa de unitate, quam dicunt, in universum dicta esse, hæc posteriora autem, si rhetoricæ inserenda essent, ad inventionem pertinere. Sequitur jam (v. 46—72) explanatio de verbis, quoniam ex iis quoque ornatus orationis constat; imprimis grammaticis et antiquariis [1]) demonstrat, esse licentiam novorum vocabulorum fingendorum, id quod insertis Augusti laudibus atque egregia imagine illustrat. Cum de verbis egisset, jam ad numeros transit, maxime cum illis conjunctos, et præcipua poesis genera enumerat, carmen epicum, elegiam, jambos, comœdiam, tragœdiam, genus lyricum (v. 73—85). Hæc genera, quibus leges sunt in ipsa mentis humanæ natura constitutæ, non confundenda sunt, præsertim comicum genus cum tragico non permiscendum est, quamvis sæpius fiat, ut unum alterum tan-

[1]) de quibus cf. supra pg. 92.

gat (v. 86—98). Qua re commemorata factum est, ut jam fusius de tragœdia disputaret (v. 99—118), id quod Pisonis causa fecit. Qui enim suo cuique generi colorem servaverit, intimos spectatorum affectus movebit, id quod poematis maxime convenit; sed et ipse animo affectus sit necesse est, qui aliorum affectus depingit, et fortunæ, dignitatis, ætatis, sexus, vitæ negotii, stirpis, nationis, personarum, quæ spectatoribus jam notæ sunt, accuratam rationem habeat, nisi volt e scena explodi, oportet. Dicam hoc loco pauca, quæ documento sunt, quam vehementer interpretes hoc carmen contorserint. *Schelleus* igitur priorem carminis partem usque ad v. 288 pertinere dixit, in qua de virtutibus vitiisque carminum, generis utique dramatici, agi, ipsam autem redire ad duo capita, quorum prius, quod pertineat ad v. 119, tractet carminum *formas*, posterius (v. 119—288) carminum *materiem*. Sed si accuratius inspicis, quæ Schelleus adnotavit, videbis, eum dixisse, Horatium præcipere primum de carminum forma (1—119), deinde de carminum materia (119—179), iterum de carminum forma (v. 179—192), iterum de carminum materia (v. 192—288). Quod est sane per ridiculum. Nec melius *Mittermayerus* hac de re exposuit, qui primum de inventione, deinde de dispositione, denique de expositione agi scripsit (42—72); mox absolutis iis, idem Horatium retractare dixit et inverso quidem ordine, id quod maxime est mirandum, de elocutione (86—118), de inventione (119—135), de dispositione (136—152).

Sed ut ad inceptum redeam, pergit Horatius præcipere, quæ tragœdiæ conveniant (v. 119—135),

scilicet aut famam (μῦθον) esse sequendam, ab antiquis traditam, aut, si novæ formentur personæ (id quod opinione tamen asperius), mores et indolem diligenter esse servandam, ut nulla pars ceteris repugnet. Qua in re non est periculum, ne reprehendaris, si quidem ab iis vitiis caves, in quæ Romani persæpe incidere solent, immorantes in nimis volgaribus, interpretationi fidelissimæ nimium tribuentes. Sequitur jam locus difficilior (v. 136—152), de quo laudatissimi interpretes maxime varie judicarunt, cum *Regelsbergerus* et *Mittermayerus* de dispositione, *Schelleus* et *Hohlerus* de elocutione eum inscripserint. At hercle certissimum est, ea, quæ hic leguntur, arctissime cum antecedentibus connexa esse, cum Horatius vitiis jam vituperatis etiam illud initii splendidi et prope arrogantis, quod excipiat narratio tædii plena, addat, cujus quidem vitii exemplum ex scriptore cyclico affert, cui opponit Homerum, qui et perbene inceperit et dilucide semper ita narret, ut ab initio ad exitum omnia optime cohæreant. In hisce exemplis laudandis cum a genere tragico deflexisse videretur (re vera non aberravit), jam ad fabulam redit atque Pisoni ætatis cujusque mores probe notandos exprimendosque esse inculcat, haud dubie personas respiciens, quæ vulgo in palliatis adhibebantur (153—178). Quæ observatio morum ac sermonis diversarum ætatum cum non sufficiat, deinceps quid scenæ conveniat, exponit (v. 179—192), ne offendantur oculi facinoribus nimis atrocibus, neve miraculo prorsus incredibili, neve animi nimia brevitate, productione, inepta dissolutione distrahantur neve sermone supervacaneo fatigentur. Jam choro,

præstantissimæ tragœdiæ parti, hoc officium demandat, ut cum actione arctissime cohæreat (v. 193—201), cui perbene subjungit de μελοποιΐᾳ, initio quidem simplici, jamjam luxuriosa et effrenata, expositionem (v. 202—219). Deinde a tragœdia ad fabulam satyricam, quæ, pari modo oriunda, inter tragœdiam et comœdiam medium quoddam tenebat, transit (v. 220—250); sive ipsum hoc genus fuit, in quo elaborare sibi proposuerit major Pisonum, sive alii ad id colendum animum appulerunt, ut populo semper novum aliquod spectare volenti satisfacerent simulque patrias litteras nova gloria afficerent. Docet autem Horatius, quibus in rebus differat a tragœdia et quo modo ad Græcarum exemplum scribenda esset. Genus dicendi ne humile, ne turgidum, ne urbanum, ne obscœnum sit; argumentum notum quidem omnibus, sed scita partium conjunctione quasi novum. Tum Horatius, quod fabula hæc satyrica jambis conscripta esse solebat, quos poetæ Latini negligentius elaborabant, a primis elementis incipiens docet, qui sit et quo modo adhibendus (v. 251—274); ipse qui politissimos versus faciebat, Accii, Ennii, Plauti minus elegantes vituperat (id quod non uno loco fecit), atque Pisonibus Græcos in condendis versibus poetis Latinis longe religiosiores, quippe qui omni negligentia severe sibi interdixerint, commendat. In præceptis scenicis usque huc versatus paucis jam originem atque successum fabulæ Græcæ et Romanæ adumbrat, Romanos laudat, qui togatas scripserint, sed limæ tædium iis proprium notat et Pisones gravissime monet, ne stolida de insito cuique ingenio opinione elati, arte neglecta, ridiculi

fiant. Quæ omnia festiva *εἰρωνείᾳ* involvens se ipsum denique, licet fabulam non scripserit, munus et officium scribendi docturum esse confirmat (275—308). Omnia enim e sapientia pendere, quam qui nactus sit, scriptorum Socraticorum instar et mores personarum bene expressurum, neque vitæ humanæ contraria, ceterum lepore destituta, scripturum esse (v. 309—322). Græcis quidem ingenium felix erat veræque gloriæ cupido, Romani autem jam a teneris unguiculis rationibus atque illiberali quæstu impliciti, cujus rei lepidissimum exemplum affertur, depravantur (v. 323—332). Neque enim quæstus poetis est appetendus, sed utilitas, delectatio earumque mistura quædam (v. 333—365). In docendo igitur brevis, in delectando verus medium teneat inter vanos jocos nimisque seria; ceteris delictis, si apud bonum scriptorem, at humano errori obnoxium, inveniuntur, ignoscendum est, malo, semper peccanti nulla prorsus est excusatio vel apud judicem æquum, qui pro diverso genere et stilo diversa etiam de singulis judicia facit. Ansam inde sumit poeta, in animum majoris Pisonis, poeticæ laudis cupidissimi, quam gravissime inculcandi, omnibus aliis mediocritatem quandam esse concessam, non poetis, qui si paullo a summo decedant, vergant ad imum. Quare increpat imperitos, qui, quippe ingenui ac divites homines, audeant versus fingere, obtestaturque Pisonem, ne adversante natura quid dicat neve faciat; si quæ tamen olim scripserit, ut judicibus gravibus tradat nec unquam elimare desinat (v. 366—390). Hisce malis poetis cum opposuisset, qui honor inde ab antiquissimis temporibus bonis, quæ digni-

tas carminibus accesserit, Pisonem prope deterritum jam egregio monet pacto, ne idcirco artem nobilissimam spernat, ad quam feliciter colendam et natura et ars et bene præparatum pectus afferendum sit (v. 391—418). Graviter deinceps hortatur Pisonem, ne coram assentatoribus illis, qui divitibus ac nobili loco natis hirudinum instar adhærescebant, aliquid recitet, cum homines isti pro dono accepto omnia ad cœlum tollant. Longe secus Quintilio similis vir bonus et prudens versibus magnam curam impendet, quod neutiquam pro re levicula habebit (v. 419—452). In epilogo denique (v. 453—476) ridiculum proponit imaginem poetæ prorsus vesani et ab omnibus derisi, qua quidem re ad initium, quo monstrum descripserat, alludens egregio quodam modo carmini finem imponit.

Ita hæc carminis ratio et poetæ consilium non modo non disjuncta inter se et contraria sunt, sed optime cohærent atque mirifice congruunt.

Hæc habui de Horatii ad Pisones epistola, quæ dicerem. Quæ omnia mecum reputans dissimulare nequeo, varie quidem me animo affectum esse. Etenim in hac lite de poetæ consilio carminisque ratione Ciceronis dictum mihi in mentem venit, quod de philosophis effatus est, nihil tam absurde dici posse, quod non dictum sit ab aliquo philosophorum. Sed occultare tamen nequeo neque volo, quoniam sententiam atque opinionem meam cœpi aperire, me ita censere, finem aliquando esse faciendum belli et pacem tandem conciliandam. Desinant igitur viri docti de consilio Horatii in hoc carmine scribendo certare, ad argumentum constituendum ad exquisitissi-

mam subtilitatem mirasque argutias descendere, perversum judicium pugnacissime defendere, alii aliis bellum indicere, clamorem tollere, pacem abnuere. Næ illi frustra sudant, nam apud prudentes bellum jam compositum atque pax confecta est! Namque quamvis et ii, qui omnia ad præcepta et artem revocarunt, non minus a vero absint, quam qui ingeniosis suspicionibus atque perversa interpretatione usi omnia ad liquidum perduxisse sibi videbantur, nullus tamen virorum doctorum tota via ita erravit, ut non boni quid dixisset. Itaque error in ea tantum re versatur, quod mente præcepta opinione abducti rationi carminis accurate examinandæ curam justam non impenderunt, atque cœci in iis, quæ ipse dixit, suis inventis nimium tribuerunt. Verum equidem in hanc spem sententiamque sum ingressus, fore, ut limatum politumque judicium de nobilissimo atque clarissimo Horatii carmine, hac disputatiuncula defensum, et ab intelligentissimo quoque viro approbatum, in dies magis invalescat.

